SCINTILLA
CORDIS
PER
EXERCITIA
SPIRITUALIA
SANCTI P. IGNATII
FUNDATORIS S. J.
CEU
IGNE DIVINI AMORIS ACCENSA
fusiùs explicata
à R. P. NICOLAO ELFFEN
SOCIETATIS JESU.

reimpreſſa

BRUNSBERGÆ
Typis Collegii Societatis
JESU.
ANNO MDCCXXIV.

PERILLUSTRI
ET REVERENDISSIMO DOMINO,
D. JOACHIMO GÖNNER.
Canonico, Officiali Livoniæ, Archidiacono Cathedrali, & Sede vacante, Episcopatûs Livoniæ & Piltinensis Administratori, Præposito Mittaviensi, &c. Domino & Mecænati colendissimo.

QUem à binis retro sæculis è Pyriis pulveribus, ad Pampejopolis mænia, in orbis vitale incendium, ad expianda urbium scelera, cordium facinora, in firmato super Apostolicam Petram Ignatio, ignem elicuit

Dextera Omnipotentis; hujus Scintillam, suo adhuc in vigore superstitem, intepescenti orbi iterum communicaturi, Tuis gratiarum Ethesiis, fovendam committimus. *Per-Illustris Reverendissime Domine.* Fateor rubore suffundi genas, ipsamq́; prope expallescere paginam, dum ardentiori zelo inflammato animo scintillam porrigimus: Videmur, in illustri die facem accendere, tædisq́; contra serenam solis faciem dimicare. Quis enim è scintilla splendor, quæ gloria ex favilla. Verùm ignosces facilè importunæ audaciæ, ubi hanc, quam vilem in nomine,

in opere reperies præſtantiſſimam. Hæc namq; una eſt è Seraphicis ignibus, quos ignitus Pater, alter ſyderei ignis, Atlas, Divinior planè Prometheus Lojola, cœlo terris intulit, cujus virtute flagitiorum Pentapolis, peccatorum mœnia, pergama iniquitatis abiiſſe in favillam, ſuâ orbis didicit experientiâ. Exarſerat totus pæne orbis non laudandis ignibus, quos ubiq; ipſe incenderat avernus, nec aliud ſperabatur, niſi novus poſt ſæcula ex hac impudenti Ætna Phàëton, qui orbem in flammas ageret, ſed contra peſſimum ardorem, optimam

flam̄am submisit polus, Diviniorē ab ipsis Superis præparatum universo ignem, Ignatium, qui vel in fluminibus ardebat, ut rogum in arido Stygis mancipio extingveret; Illatus hic à DEo Ignis, Sua hac Scintilla, grande hoc vitiorum bustum solvit in cineres, Ætnamq; æstuum vesanorū, infelicissimum amoris incenarium mira vertit Metamorphosi. O quot non absumpsit vitiorum machinas hæc cœli facula? vix datur civitas, quā non signaverit, vix locus aut sedes, quam calore non inflam̄averit, vix urbs in orbe, quam æstu suo non incenderit.

Hæc

Hæc Xaverium, grande illud Ecclesiæ Indicæ columen sumpsit in pabulum, & ex Saxeo igneum, ex adamantino fecit Ignatianum. Mirantur hujus Scintillæ robur, quotquot Lojolanam incoluêre Manresam, ut qui nullam priùs cœlestis incendii sensiêre faculam, à calore hujus, toti in flammas solverentur. Et jam non ambigo, quòd Thaumaturgam hanc cœli Scintillam, quam Tuis gratiarum Favoniis cõmissam vides, gratioso dignaberis oculo, non ignarus quòd eam in intimis pridem recondideris fibris. Talem hæc diu per oras & ora gentium quæ-

ſivit Patronum, qui igneus eſ-
ſet, aut Ignatianus. Utrumq;
reperit pulchrâ Paranomaſiâ
colligatum in Te *Per-Illuſtris
Domine*, qui, quidquid ſpiras
ignis eſt, quidquid loqueris
flamma eſt, zelo gloriæ divi-
næ ſuccenſa. Non tamen in Te
me peccaſſe ſuſpiceris, quòd
Ignatianū appellaverim; qua-
lem te eximia in minimam So-
cietatem JESU abundè probat
benevolentia. Igneum Te dixi,
ignem merum dixiſſe debue-
ram, qui flammas geris pro
medullis, & cordis locò, pieta-
te zeloq; ſuccenſus focus Tibi
pectus occupat, ità, ut ſi in hac
regnantium ſectarum hyeme,
novum

novum iterum quæreremus Baſilium, qui frigeſcentes inflammaret; haberet orbis, quod in Te coleret: prædicarent ſinguli, adorarent univerſi. Si Fidei Defenſorem deſiderat Religio, magnis te exæſtuans in fidei incrementa ardor Eccleſiæ comparabit Heroibus, qui undiq; in ſuccreſcentia hæreſeon monſtra comparas tela, ut efferam illarum retundas & frangas audaciam. Neq; tamen Tuus hic animi fervor, uno ſe ſinit arctari clymate; verùm impatiens clauſtri, claudiq; neſcius, ulteriora ſemper exambit, viamq́; ſibi per invia facit, ut etiam in

umbra mortis jacentibus Regionibus, fidei lumen injiciatur. Planè eadem Te febris torret, quæ magnum Macedonem, nisi inter appetitum sanctius discrimen intercedat, & æquè tibi unus non sufficit orbis. Imò exiguum videbatur, quidquid Borussia strenuo in prædam labori, quidquid ardentibus in pabulum desideriis obtrudebat; quasi nihilum esset, quod de circumstante vinea, aut proximis agris labor Apostolicus colligere poterat: Ultra Curoniæ limites perrexisti, ut hæc quoq; Tuis accenderetur æstibus, & quæ hactenus vix aliquam Empyrei i-

gnis

gnis guſtaverat faculam, Te æſtuante tota in flam̃as ſolve-retur. Et certè arriſit votis æther, ubi hanc mundi plagam una cum ferinis moribus expiâſti, & plures, quàm hæreſis obtrudendas ſomniabat animas, vitali Tuo incendio expurgâſti. Laxarem hic orationis habenas, ad decurrendum encomiorum paſſibus ampliſſimum virtutum Tuarum campum; omnem moverem lapidẽ, ut rudi licet ſtylo grandem Tuam Sapientiam, non paginis tantùm, ſed cedris inſcriberem: Verùm formido ne inconſultæ temeritatis arguar, ſi ea ad certum computum

redi-

redigere contendero, quibus texendis Herculeas non expedit præfigere columnas. Quare dum Elogia Tua Pythagoricâ cogor venerari facundiâ, ſvadâ in preces versâ: Oro ſuperos, ut Te Eccleſiæ ſervent abſq; invidia, quo-uſq; Pietas Propagatorem, Religio ornamentum, grex fidelis, fideliorem optabit Paſtorem, ut ſic Platonicos incolumis, revolvas annos, & novâ ſemper factorum meritorumq; in Vinea Domini gloriâ, faſtos & ſæcula impleas. Ita Vovet

MAGNO NOMINI AC HONORI TUO.

Devinctiſſima Typographia Collegij Brunsbergenſis Societatis JESU.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

AMICE LECTOR.

PRo certo habe tractationem atque usum Exercitiorum S. P. Ignatii, post dignam Pœnitentiæ & Eucharistiæ frequentationem (quæ Sacramenta Christus instituit) unum ex efficacissimis esse mediis ad eximium aliquem sanctitatis gradum pertingendi. Testatur illud Paulus Tertius Pontifex Maximus in ea Bulla, quâ Exercitia spiritualia sancti Parentis approbavit tanquam pietate & sanctitate plena, & ad ædificationem & spiritualem profectum fidelium valde utilia & salubria, per quæ uberes in Ecclesia DEi fructus, ubique gentium producantur. S. Carolus Borromæus S. R. E. Cardinalis, & Mediolanensis Archi-Episcopus, postquam semel delicias Ignatianæ Asceseos delibavit, eâdem bis quot annis, quoad vixit, ad octo vel quindecim dies animum excoluit; & dum id faceret, semper sibi unum è Societate JESU Sacerdotem ducem mentis suæ & arbitrum delegit: quin & paulò ante obitum suum per has pretiosas DEo viventium, & in Domino morientium occupationes, voluit sese ad beatam, immortalemque vitam sanctè comparare, usus tunc temporis directione P. Francisci Adorni, ducis sui spiritualis, & ordinarii

Confeſarii, in cujus præſentia poſtmodum ſanctam animam ſuam, innumeris decoratam meritis, Conditori reddidit; eidemque Patri poſt mortem glorioſus apparens, prædixit non multò pòſt & ipſum è vita diſceſſurum, quod & ita prorſus evenit. Si tanti ſacras háſce Exercitationes fecit Cardinalis ille, vir ſanctus; ſi in eiſdem tam ſæpè & tam multùm ipſe verſatus eſt, quid tibi incumbet, Chriſtiane Lector, qui non ſanctus es, ut ille, ſed ſcates undique fœdâ peccatorum tuorum illuvie? Erit ſanè operæ pretium & in rem tuam plurimùm conducet, ut domui tuæ diſponas & tecum ipſe rationes antè conficias, quàm ad diſtrictum ſupremi Judicis tribunal evoceris; præcipuè cùm apud innumeros homines id etiamnum qnotidiana teſtetur experientia, per D. Ignatii meditationes rite uſurpatas admirandam, ſubitam, & ſtabilem vitæ in melius emendationem, uberem in virtutum ſemita progreſſum, certa in rebus dubiis conſilia, iis præſertim, quæ ſtatum vitæ concernunt, magnum in divinis myſteriis cognoſcendis lumen, profundam propriæ infirmitatis notitiam, novum denique fervorem, & conatum in DEi ſervitio acquiri & obtineri. Quid memorem lapidam illam internorum gaudiorum copiam, quâ DEus in

in ſacro hoc ſeceſſu ſæpè (dico ſæpè quia juſtis de cauſis aliquando ſenſibilem illam oblectationem ſubtrahit) non modò animam, ſed & ipſum adeò corpus profundit? Quid dicam de interna quiete conſcientiæ quam percipiunt illi, qui peccata ſua in hac divina eremo cum amaritudine animæ ſuæ recogitant & expiant? Hoc unum dico, Exercitia hæc, verè eſſe ſanctam aliquam cœleſtium gaudiorum promulſidem, & prægustatam æternæ, & imperturbabilis pacis dulcedinem. Quare omnes & ſingulos cum Propheta Davide ſic libet alloqui: Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus. Pſ. 33. v. 9.

MONITA COMMUNIA,

ad Exercitia piè obeunda, perquàm utilia.

1. EXercitia ſpiritualia erudiunt nos, qua ratione conſcientiam noſtram diſcutere, meditari corde & ore orare & denique omnis generis pias occupationes, cum fructu tractare debeamus; unde iis anima noſtra, & conſcientia purgatur, atque ita fit aptior & alacrior ad voluntatem DEI pleniùs cognoſcendam, & exactiùs adimplendam: ſicut enim medicinam ſumere, ire, currere, laborare, exercitia ſunt corporalia, eò quòd ad corporis ſanitatem adhibita, conducant; ita quoque præparare, inquit

S. Ignatius, & disponere animam ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas, & iis sublatis, ad quærendam & inveniendam voluntatem DEi, circa vitæ suæ institutionem, & salutem animæ, Exercitia vocantur Spiritualia.

2. Finis horum Exercitiorum est perfecta spiritûs renovatio, ad exemplar & imaginem vitæ JESU Christi, juxta illud Apostoli Pauli: Induimini Dominum JESUM Christum. Rom. 13. v. 14. Et iterùm: Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis Eph. 4. v. 24. Quemadmodum ergo tabula seu imago, vetus & obscurata, si renovanda est, primò quidem elui debet, & pulveres omnes abstergi; tum detriti colores resarciri tum quæ reparata sunt fulgidis quibusdam ac gummosis pigmentis illini; ita & tu, ut imago animæ tuæ conformetur prototypo suo, vitæ JESU Salvatoris tui, debes ab illa omnes peccatorum sordes, & pulveres abluere; debes illam virtutum coloribus depingere, & nitido cœlesti charitatis pigmento prorsus obducere & collustrare. Atque hæc causa fuit, quare S. Ignatius meditationes suas ad tres Perfectionis vias accommodârit; ad viam purgativam, exercitia de peccatis & de novissimis

a

ad viam Illuminativam, sive virtutum (nam virtus lumen est, sicut peccata sunt tenebræ) meditationes de vita Christi Salvatoris nostri, ex cujus mysteriis omnium optimè virtus elucet; ad viam denique Unitivam contemplationes de gloriosis Christi mysteriis, de beneficiis & amore DEi, atque his omnibus fundamentum præfixit considerationem finis, ob quem creatus est homo, quam & propterea Fundamentum appellavit.

3. Ad primum sacræ Eremi ingressum Patronum tibi è Sanctis unum delige, cui omnia diei opera committes, eumque impensè pro felice spiritus tui renovatione precaberis.

4. Magno & alacri animo opus aggredere, & magnam pone fiduciam in abysso misericordiæ, bonitatis, & liberalitatis DEi tui, qui, cùm etiam errantes quærat, & à se profugos insequatur, quantò magis eos admittet, & amplexabitur, qui sponte suâ, prompto & parato animo in amplexus ejus sese ingerunt, Voluntas enim ipsius, est sanctificatio nostra.

5. Neque Exercitia incipies eâ mente, ut spiritualem aliquam dulcedinem & solatium in iis degustes; sed multò magis, ut agnoscas, quid DEUS à te fieri, & omitti

velit, utque omnem affectum tuum discas à terrenis rebus avellere, & illum penitùs Conditori tuo affigere.

6. Ad divinam voluntatem & beneplacitum esto indifferens in iis omnibus, in quibus adhuc liber es: ideoque obstinata consilia, & obfirmata proposita, quæ mutare nolis, huc afferenda non sunt: DEI enim donis & gratiis præfigi termini non debent, quasi eò usque, & non ultrà illuminari & juvari velis: nam præterquàm quòd prorsus est inconveniens, hoc modò creaturam cum Conditore suo agere, quisquis talis est, sibi imprimis nocet; tum, quia amplioribus se ipsum gratiis spoliat, quas dubio procul illi DEus largiturus erat; tum quia illiberalis ista parsimonia erga DEUM meretur, ut nec illud quidem, quod cæteroquin desiderabat, assequatur. Proinde dilatandus est sinus cordis nostri, & omni modo optandum, ut quàm arctissimè DEO uniamur.

7. Abstrahe omnino animum ab omnibus aliis negotiis, ab amicorum & cognatorum colloquio, ab omnibus rumusculis, nuntiis, & litteris, cujusmodi res replent animum multis noxiis imaginationibus, conceptumque fervorem sæpe omnem suffocant. Quin conare adeo omnes de rebus aliis cogitationes eliminare, acsi hoc unum in

in mundo foret negotium tuum, & præter hoc nullum aliud juxta vetus adagium: Hoc age.

8. Omni diligentiâ ſenſus externos cuſtodi, præcipuè oculos, aures & linguam, cum nullo miſce colloquia, niſi neceſſitas aut urbanitas id exigat; neque cubiculo unquam, niſi neceſſarium fuerit, egredere.

9. Erga eum, quem exercitiorum tempore directorem habes, ita te gere, pro ut in tertia parte Cibi Electi, Inſtructione 4. doceris. Admitte illum velut magiſtrum, & ducem ambiguæ vitæ tuæ. Confidere hîc nimiùm propriæ doctrinæ, ingenio, prudentiæ, eſt ſemetipſum ſeducere. Nihil coram hoc inſtructore occulta, nihil diſſimula: ſed totum cor tuum, omneſque animi receſſus candidè illi patefacito: manifeſta eidem, quo pacto quælibet meditatio ſucceſſerit, quas in & extra meditationem conſolationes, deſolationes, illuminationes, peculiares gratias, & quæ deſideria ſenſeris: in omnibus illi perfectè obtempera, in materia & modo meditandi, in lectione librorum, in præſcripto diei ordine, in pœnitentiis & macerationibus corporis. Cave verò imprimis, ne cœco impetu & ardore abreptus, ſine ipſius conſenſu & approbatione ullo te voto obſtringas. Verbo, quò eris in

ſequendo ductore tuo accuratior; eò eris ad percipienda uberiora divinæ gratiæ auxilia magis diſpoſitus. Humilitas enim & ſimplicitas rectiſſimâ viâ ad infinitos divini cordis theſauros aditum inveniunt.

10. Ad methodum, modumque meditandi quod attinet, ſerva illum, qui in prima parte Cibi Electi propoſitus eſt; quare & ille Exercitiorum initio, vel pridie, ſemel percurri poteſt ac relegi.

11. Quotidie opus aliquod pœnitentiæ, cum conſenſu tamen Confeſſarii perage, cujuſmodi ſunt, flagello ſe cædere; cingulo cilicino ſe accingere; in cibo ſibi ipſi aliquid ſubtrahere; non tamen æquè ſomno; ut caput toto die intenſum, nocturnâ quiete relevari poſſit.

12. Cum conſilio Confeſſarii libros ſacros perlege, non prurientes auribus, ſed qui cor penetrent, & feriant; tales ſunt libellus de Imitatione Chriſti; Tractatus Patris Rodericii; Vitæ Sanctorum, ſacroſanctum Evangelium; ex quo tamen nihil aliud, præterquam myſterium, quod eà die meditandum occurrit, legendum eſt, ſacra enim lectio & meditatio debent ſibi mutuò eſſe adminiculo.

13. Adnota & refer in chartam non prolixè, ſed breviter, quidquid bonus DEUS

in

in vel extra meditationem tibi inſpiravit; ſive illud voluntatem concernat, ut ſunt ſancta propoſita; ſive intellectum, ut ſunt certæ veritates, quas agnoviſti, aut lumina in materia fidei, cæterarumque virtutum. Quod ſcripto conſignas, debet plerumque eſſe regula & dictamen aliquod, ad quod ſecuturam vitam accommodes: advertendum tamen hîc etiam, ne animus legendo, ſcribendòve fatigetur. In omnibus enim primæ meditationi debentur, cui ſubſervire & ſubordinari cætera omnia oportet.

14. Inviſe per diem aliquoties Venerabile Sacramentum; aut ſi ad illud deeſt occaſio, verſo ad viciniſſimum templum vultu & corpore, ea perage pietatis officia, quæ aliàs exercere ſoles, dum ſacratiſſimum Sacramentum viſitas.

15. Attende, ut octiduanum hoc tempus ſummâ animi puritate tranſigas, neque ullum in eo veniale peccatum deliberatè & advertenter admittas.

ORDO DIEI

Pro Exercitiis.

Horâ quartâ ſurgitur: viſitatur Venerabile Sacramentum: peraguntur preces matutinæ. In Pane Parv. 4. ptrte. Inſtruct. 2.

Mediâ 5. Horaria meditatio. Cib. Elect. part. 1. Inſtruct. 1. §. 4. & 5.

Mediâ 6. Recollectio de successu meditationis: ibidem §. 6.

Horâ 6. auditio Sacri. Pan. Parvul. parte 4. Instr. 14.

Horâ 7. ad quadrantem ante nonam oratio vocalis; annotatio propositorum & luminum; præparatio ad generalem Confessionem.

Quadrante ante 9. Præparatio ad subsequentem meditationem.

Horâ 9. Horaria meditatio

Horâ 10. Recollectio de successu meditationis, annotatio.

Quadrante post 10. Generale Examen. Pan. Parv. Parte 3. Instruct. 7.

Mediâ 11. Prandium ibidem. Instruct. 5.

Horâ 11. Spirituale colloquium cum Confessario; lectio Vitæ alicujus Sancti; & sancta quædam animi relaxatio.

Horâ 12. Visitatio Venerabilis Sacramenti, Litaniæ B. V. & dulcissimi nominis JESU; Examen particulare, cujus materiam infrà invenies.

Horâ 1. Præparatio ad generalem Confessionem; annotatio propositorum; lectio Thomæ à Kempis.

Horâ 2. Consideratio vel lectio tarda & attenta illius, quod è libello Exercitiorum legendum quotidie infrà tibi assignatur.

Horâ

Horâ 3. Exercitium corporale, vel vocalis oratio; visitatio Venerabilis Sacramenti, Vesperæ, Completorium.

Mediâ 4. Lectio præscripti libri spiritualis.

Horâ 4. Matutinum & laudes pro die sequente, aut alia vocalis oratio.

Quadrante ante 5. Præparatio ad meditionem.

Horâ 5. Horaria meditatio.

Horâ 6. Recollectio, annotatio.

Mediâ 7. Cœna.

Horâ 7. fiunt omnia, uti post sumptum prandium, cum visitatione Venerabilis Sacramenti.

Horâ 8. Litaniæ omnium Sanctorum; præparatio ad meditationem crastinam; Examen generale, Particulare.

Quadrante ante 9. Preces vespertinæ, & quies nocturna, Pan. Parv. 3. parte Instruct. 8.

Circa ordinem hunc diei advertendum est, posse cum consilio Confessarii illum immutari, si ita necessarium & utile visum fuerit.

MONITA

Pro Meditationibus Fundamenti & viæ Purgativæ.

1. S. P. Ignatius meditationem de ultimo fine hominis Fundamentum inscripsit, quia hujus veritatis cognitio basis est vi-

tæ christianè sanctèque traducendæ, & ingressus ad triplicem perfectionis viam feliciter decurrendam.

2. Tres primi Exercitiorum dies, eò collineant, ut plenè cognoscas, ad quem finem sis conditus; ut intimè doleas, te à fine tuo toties & toties aberrasse, ut animum tuum emacules ab omnibus peccatis, & affectibus inordinatis per contritionem seriam & genuinam; per pœnitentiæ opera; per vitæ commutationem in melius.

3. Proinde nemo ullus, quantumcunque in virtutis via promoverit, meditationes de peccatis, & quatuor novissimis intermittat: nemo eas obiter peragat, & cum fastidio. Velle altùm sapere, ac in ore menteque versare continuò gloriosa Christi vitæ mysteria, & infinitas DEi perfectiones, simulque oblivisci suúmmet nihilum ac indignitatem propriam, est arces in concavo lunæ excitare.

4. Ut primùm manè lectulo consurgis persvade tibi, te esse ægrum aliquem, qui peccatorum ulceribus & sanie fluat undique; Aulicum perfidum & proditorem, cujus perfidia supremo Numini; & Regi regum, cunctisque Cœlitibus nota sit & perspecta; captivum, cujus animi in corpore velut in ergastulo à peccatis & affectionibus

bus non modò vincta teneatur, sed dirum etiam in modum cæsa sit, & cruentata.

5. Evitabis risum omnem & jocos, cogitationes amœniores de gloriosis fidei nostræ mysteriis ipsum etiam solaris lucis claritatem, januis & fenestris clausis arcebis, nisi quando vescendum, scribendum, aut legendum erit.

6. Particulare examen primo exercitiorum die institues de fine tuo ultimo, & omnem adhibebis operam, ne vel minimum hodie quid facias, quod divinæ gloriæ, & tuæ saluti adversetur. Dic crebrò per diem cum D. Ignatio: Omnia ad majorem DEi gloriam; cum Davide: Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram, DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum Ps. 72. v. 25. Vel verbis à temetipso conceptis, dicito: Mi DEus, doleo medullitus, quod tuæ gloriæ, meæque saluti, tam parum hactenus studuerim. Tibi soli deinceps serviam. Per duos sequentes dies sit Particulare examen de dolore peccatorum, ex amore DEi offensi, caveaturque summo studio, ne in præsens quid admittas, DEo displicens. Preces jaculares esse poterunt sequentes: Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte universa delicta mea Ps. 24. v. 18. Tibi soli peccavi, & malum co-

ram te feci. Pſ. 50. v. 6. Ex corde doleo, quòd te DEUM meum offenderim. Malo millies mori, quàm peccare in DEUM meum.

DIES PRIMUS

MEDITATIO PRIMA.

De Fundamento, ſive ultimo fine hominis.

PUnctum I. Creavit DEus hominem ad imaginem ſuam Gen. 1. v. 27. Homo totius Univerſitatis centrum eſt, in quo creaturarum omnium perfectiones concurrunt; ipſe eſt operum divinorum brevis ſumma & compendium: ſubſiſtit enim cum elementis; vivit cum floribus, herbis, & arboribus; ſentit cum animantibus, intelligit & contemplatur cum Angelis. DEUS itaque ex mero in te amore, nullatenus tui indigens, abſque te omnimodè, hoc eſt, infinite felix, ex multis tamen millibus creavit te, deditque tibi corpus integrum: quinque ſenſibus externis exornatum, cujus erecta in cœlos forma docet quærere & deſiderare cœleſtia. Corpori nobiliſſimam DEUS animam indidit, eidemque effigiem ſuam impreſſam & inſculptam voluit; nam anima ſicut & DEUS purus eſt ſpiritus, immortalis, in ſubſtantia ſua ſimplex, tribus decorata potentiis, memoriæ, intellectus, & volun-

luntatis, dat vitam corpori, & operatur omnia in omnibus sensibus, & membris corporis; atque ita est naturalis & scitè elaborata imago DEI. Insuper humana anima, est capax divinæ gratiæ, quæ participatio & particula est divinæ auræ, sive divinitatis, & quam in sacro Baptismate tibi DEUS liberalissimè communicavit Quantas illi gratias debes pro beneficio creationis tuæ? quàm solicitum te esse oportet, ut in anima tua DEI imago inviolata permaneat? eandem fortè per peccatum expunxisti, & inseruisti imaginem dæmonis, quod ipsum pudore ac pœnitentiâ foret dignissimum.

Punctum II. Quis scopus est ac finis hominis in hac vitâ? Respondet D. Ignatius: Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum DEum suum laudet, ac revereatur eique in hac vita serviens, tandem in altera salvus fiat, Deoque æternùm fruatur. Hanc veritatem desumpsit S. Pater, ex Apostolo dicente: Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti DEO, habetis fructum vestrum in sanctificationem; finem verò vitam æternam ad Rom. 6. v. 22. Ex sapiente Salomone: DEum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo. Eccles. 12. v. 13. Ex Isaia Propheta. Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer, & gloriam meam

alteri

alteri non dabo audi me Jacob & Iſràël, quem ego voco, ego ipſe, ego Primus, & ego Noviſſimus. Iſai. 48. v. 11. Uti ergo articulus fidei eſt, quod DEUS hominem creaverit, ita & fidei punctum eſt, quod eum creaverit propter ſe; & eſſentialis DEI perfectio eſt, quòd ipſe ſit A & O, principium & finis Apoc. 21. v. 6. Quocirca munus & officium tuum in hac vita Angelicum eſt; nimirum DEum diligere & laudare, ; nec alium ullum operibus tuis finem, quàm unum & ſolum Deum præfigere. Nónne omnia, quæ habes. DEus tibi dedit. Nónne Chriſtus omnes greſſus ſuos tuâ cauſâ fecit? Nonne malus eſſet Operarius, qui unam alterámve horam heri laboribus ſubtractam ſibi & ſuis uſibus impenderet? Nónne hæreticum diceres eum, qui vel unum fidei negaret articulum? Proinde non ſolum tu inutilis ſervus es, qui uſquè huc vitam duxiſti infructuoſam, ſed etiam ſervus es nequam & infidelis, qui toties corpus & animam DEO debitam, non DEo, ſed mundo dediſti. Dementiſſimus ſanè foret, qui agere poſſet Cancellarium Regis, & ſibi ambiret officium carnificis. Talis tu es, & hoc in te verum accidit.

Punctum III. Nullâ quiete internâ fruitur, quiſquis in hoc mundo, alind præter Deum

DEum quærit. Quamdiu lapis in áëre eſt, movetur continuò nec quieſcit priuſquàm terram tangat; ita nec tu quietem in ulla creatura reperies, ſed in ſolo DEO qui centrum eſt, & quies humani cordis. Rectè ait S. Auguſtinus: Fecìſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. l.1. Conf. cap.1. Amas divitias? velut ſpinæ aculeis, ſic cor tuum curis compungent: vanam gloriam? evaneſcit ut fumus: voluptatem carnis? hanc ſemper pœnitentia ſequitur, pudor & dolor, Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat. Prov. 14. v. 13. In lectulo mortis tuæ planges, ut impii: Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus, Sap. 5. v. 7 Conſidera nunc, & vide, quoties per vana colloquia & converſationes cum hominibus quietem cordis tui prodegeris, & imminueris filialem ad DEum recurſum, confidentiam & amorem. Dic deinceps non verbis ſolùm, ſed factis cum Propheta Davide. Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea, & cor meum, DEUS cordis mei, & pars mea, DEUS in æternum Pſ. 72. v. 25.

Punctum IV. Scopus tuus & finis poſt hanc

hanc vitam, eſt vita æterna, quæ aliud nihil eſt, quàm DEi per viſionem beatificam poſſeſſio, & æterna per beatum ejus amorem fruitio. Hæc eſt autem vita æterna, ait Chriſtus, ut cognoſcat te ſolum verum DEum, & quem miſiſti JEſum Chriſtum. Joan. 17. v. 3. In cœlo nihil eſt mali. Abſterget DEUS omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultrà. Apoc. 21. v. 4. In cœlo quidquid eſt, bonum eſt, ſine morte vita, ſine morbo ſanitas, theſaurus ſine periculo, voluptas ſine dolore, honor ſine invidia; verbò: plena ſatietas deſideriorum omnium, quidquid animus humanus deſiderare poterit, id cœlum dabit. Cogita nunc, quàm dementes ſint ii, qui pro unica terrenæ voluptatis guttula, vendunt immenſum gaudiorum mare? quàm reprehenſibiles, qui in comparanda ſalute ſua ſunt deſides & inertes? quæ non patiuntur ac faciunt aulici, ut placeant Regibus? mercatores, ut diteſcant? milites, ut coronentur coronâ marceſcibili? Operarius, ut modicum lucretur? Mundi amator, ut ſuis ſatisfaciat deſideriis? Ergóne qui diabolo famulatur, in ſuum magis ferveſcet exitium, quàm DEI ſervus in ſalutem animæ ſuæ, & æternam beatitudinem? Quis non cum D. Ignatio

ex toto corde exclamet: Quàm ſordet mihi terra, dum cœlum aſpicio?

MEDITATIO SECUNDA.

De mediis naturalibus, & ſupernaturalibus ad finem ultimum.

PUnctum I. Conſidera omnis generis media & creaturas, quas DEUS non ad tuam ſolùm neceſſitatem, ſed etiam oblectationem condidit: Poſuiſti eum ſuper opera manuum tuarum, inquit Propheta, omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. Pſ. 8. v. 6. Sol & ſtellæ te illuminant: àër reſpirandi dat facultatem: terra te ſuſtinet: fluvii & maria tibi merces advehunt: ignis divino imperio te calefacit. Idem DEUS tibi cibum præſtat, & potum, veſtes, valetudinem corporis, plurimos vitæ annos, theſaurum temporis omninò pretioſum. Jam verò quorſum hæc omnia? Audi Pſalmiſtam: Et dedit illis regiones gentium & labores populorum poſſederunt, ut cuſtodiant juſtificationes ejus, & legem ejus requirant Pſ. 104. v. 44. Omnes creaturæ gradus ſunt, per quos te ad DEum oporteret aſcendere; & media, per quæ tibi creſcendum eſt in cognitione, amore, & timore Creatoris tui. Pulchritudo creaturarum docet te, quàm ſit pulcher is, qui eas condidit; earum amarities & rigor, quàm rigidus & ſeverus ſit judex. Perpende,

quâ

quâ ratione tu hactenus creaturis sis usus; Prò dolor! plùs ad interitum tuùm, & perditionem, quàm ad salutem; plùs ad summum Creatoris tui ac Domini contemptum, quàm ad ejusdem honorem & gloriam. Inde ortum est, quòd creaturæ queis perversè & improbè fruitus es, cor tuum sæpiùs curis & anxietatibus torserint: sunt enim illæ fidæ & pudibundæ DEi famulæ, quæ verbera & colaphos ingerunt iis, qui modo indecenti & impudenti contra Domini sui honorem iisdem abuti moliebantur: in altera verò vita stabunt contra te accusatores tui, & clamabunt vindictam, quoniam ad indigna vanarum, malarumque cupiditatum tuarum obsequia eas coëgisti, quas in unius DEi honorem debuisses impendere. Muri & parietes, qui contexêrunt scelera tua, vestes, quibus superbiisti. &c. olim te accusabunt, ô homo! Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Sap. 5. v. 21. Conclude, num rationi congruum sit, tot sibi ipsi hostes & accusatores suscitare die illo, quo amicis patronisque maximè indigebimus.

Punctum II. Qui amore inordinato fertur in creaturam, eâque in sui tantùm oblectationem utitur, non solùm creaturæ DEI summam infert injuriam, verùm etiam Creatorem ipsum execrabili ignominiâ & de

dehonestamento commaculat: talis enim homo non veretur DEum graviter offendere, ut brutâ & sensuali delectatiunculâ potiatur, quam in bonis caducis, in voluptatibus, cibis, officiis, consangvineis sitam consectatur: derogat DEo essentialem proprietatem, quòd sit Primus & Novissimus, Principium & Finis, eamque creaturæ tribuit, & ait: Tu es DEus meus; Te Numinis loco deinceps colam. O homo, quid tam intensè & perversè diligis creaturas, quarum oblectatio cor tuum non satiat, quæ evanescit, ut fumus, ut vapor, ut somnium, ut umbra; & quæ te cumprimis dedecet, qui ad altiora majoraque bona natus es. O dementiam, magis complecti abjectam & turpem ancillulam, quàm pulcherrimam ac nobilissimam sponsam; magis creaturam, quàm Deum. Quoties sic demens fuisti? Audi tandem monitum Davidis: Filii hominum usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Ps. 4. v. 3. Ità si perrexeris & cum creaturis fornicationes & adulteria prosecutus fueris, væ tibi! Jam in te lata est à DEo sententia per os Ezechielis Prophetæ: Et judicabo te judiciis adulterarum, & effundentium sangvinem, & dabo te in sangvinem furoris & zeli, Ezech. 16. v. 38.

Pun-

Punctum III. Ex duobus præcedentibus punctis ſequitur, ad obtinendum finem tuum, neceſſariam tibi eſſe perfectam animi indifferentiam, ad omnes res creatas; quemadmodum enim artifex non quovis utitur inſtrumento, ſed quod uſibus ſuis, & intentioni artis, operique elaborando deſervit; & viator talem ſolùm viam ingreditur, quæ illum ad optatum terminum rectà deducit; & ægrotus non quamcunque, ſed eam duntaxat medicinam eligit, quâ priſtinam ſanitatem conſequatur; ita & homo ex omnibus mundi rebus, eas, amplecti debet, quæ maximè illi in finem ſuum expediunt: ſive eæ ſint divitiæ, vel paupertas, honor aut contemptus, ſanitas vel morbus, brevis aut longa vita: imò deceret, nos potius paupertati, contemptui & miſeriæ addictos eſſe, quàm divitiis, honoribus, & voluptatibus: quia crucis via ſecurior eſt, & ad ſalutem compendioſior Optimum factu erit, ſi quiſque totum ſe Divinæ Providentiæ commiſerit, quæ ſola optimè novit, quis ſtatus, & quis vitæ modus ſaluti noſtræ potiſſimùm conducat Quare reſigna, & offer te ad ea omnia, quæ DEus aut immiſſurus tibi, aut de te ordinaturus eſt.

Punctum IV. Perpende copiam ſupernaturalium mediorum, quæ tibi divina Boni-

Bonitas ſubminiſtravit, ut iis finem tuum ultimum, cœleſtem Beatitudinem conſequare. Natus es Chriſtianis parentibus, ſacro tinctus Baptiſmate, ſine quo infantes complures immaturè, & cum æterno ſuo diſpendio defunguntur: Parentes tui & ludimagiſtri omni te curâ educârunt, & in timore Domini: DEus tibi Angelum tutelarem dedit, qui tui cuſtodem agat, & pædagogum. Ipſe DEi Filius tuâ causâ homo factus eſt, ut verbis & exemplis ſuis te viam ſalutis edoceret; is tibi corpus ſuum in cibum, ſangvinem in potum, merita in cœli obtinendi arrham, paſſionem & mortem in redemptionis pretium, Sacramenta in tubos & canales, gratiam animæ tuæ infuſuros, benignè eſt elargitus. Quoties Sacramento Pœnitentiæ es expiatus, & pabulo Euchariſtico refectus? Quot libros pios Dei ſpiritu plenos evolviſti? quot conciones ſaluberrimas audire tibi datum eſt? quot præclariſſima vitæ exempla edidêre Sancti? quàm fortes & quàm crebros in omne bonum impulſus à DEo ſenſiſti? Profectò is jure tibi occinet: Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? Iſa. 5. v. 4. & tamen hæc omnia ſalutis media tu vel neglexiſti turpiter, vel non niſi ſegniter ea uſurpaſti. Næ tu verus es Tantalus, qui inter

ter medias ſitit aquas; & illi ſimilis, cui in ſtabulo centum generoſi & tolutarii aluntur equi, & eorum nulli, dum iter longum & neceſſarium inſtat, ſeſe imponi patitur. O te aliquando miſerum, cùm horum rationes à te DEus exiget, & ſciſcitabitur! Ecce quinque talenta dedi tibi, ubi ſunt alia quinque, quæ ſuperlucratus es? Dubio procul te ferient minæ irati Numinis: Et nunc oſtendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: auferam ſepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriem ejus, & erit in conculcationem. Iſai. 5. v. 5.

MEDITATIO TERTIA.

Pauci homines fini ſuo vivunt convenienter, & ſalvi fiunt.

PUnctum I. Omnes quærunt, quæ ſua ſunt & non quæ ſunt JESU Chriſti. Phil. 2. v. 22. & inde fit, homines turmatim, ut floccos nivium ruere in gehennam, & maximam partem damnari: Ad fidem, inquit Sanctus Gregorius, plures veniunt, ad cæleſte regnum pauci perducuntur. Plerique DEUM vocibus ſeqvuntur, moribus fugiunt. Homil. 19. in Evang. Ipſe etiam Chriſtus qui ab æterno electos ſuos in numerato habet; fatetur diſertis verbis: Multi vocati, pauci verò electi Matt. 22. v. 14. Conjice oculos tuos in modernum mundi lamen-

lamentabilem statum: Mundus totus in maligno positus est. 1. Joan. 5. v. 19. Non est veritas & non est misericordia, & non est scientia DEI in terra: maledictum & mandacium, & homicidium, & furtum & adulterium inundaverunt, & sangvis sangvinem tetigit. Oseæ 4. v. 1. Tangat te commiseratio tot pereuntium nobilissimarum animarum: omnem impende operam, ut eas cælo lucreris; verùm præ omnibus, tu ipse animæ tuæ salutem operare; & quidem cum metu ac tremore. Quodsi ex omni hominum genere damnandus foret solùm unicus; quodsi centum; quodsi mille, timendum ac trepidandum tibi esset, ne infausta hæc damnationis sors in te caderet: quantò magis, cùm potissima hominum pars intereat? Unicam habes animam; hanc semel perdidisse, est perdidisse æternùm.

Punctum II. In memoriam revoca zelum insatiabilem, inexhaustos labores, quibus cælum promeruêre BB. Confessores, Martyres, Apostoli, & ipse Christus. Quàm seria ac solida sunt eorum hac super re monita? Verba Christi sunt hæc: intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem & multi sunt, qui intrant per eam: quàm an-

gusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam, Matt. 7. v. 13. Paulus etsi in tertium cælum raptus, & optimè de Ecclesia DEI meritus, castigat tamen corpus suum, & in servitutem redigit, ne fortè cùm aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur, 1. Cor. 9. v. 27. Horrenda est illa D. Petri Principis Apostolorum interrogatio: Et si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt? 1. Pet. 4. v. 18. Nota benè hanc voculam vix, quasi diceret: Justus quidem salvabitur; sed multùm vigilando, orando, jejunando, patiendo, &c. Væ igitur mollibus & delicatis! Ad minimum eam tu adhibe in orando attentionem, & rectè vivendi curam, quàm multi in literarum studiis, aut latrunculorum lusu adhibere solent. Quâ solertiâ gubernator, urbem ab hostibus obsessam, eâ tu sensus tuos custodi; atque uti quæstor aliquis, rationes suas, in quarum defectus, erroresque Princeps aut Rex severè animadvertet, exquisitâ diligentiâ componit: sic tuam examina & excute diligenter conscientiam. Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare & non poterunt. Luc. 13. v. 24. Quia nimirum non quærunt, ubi deberent; & quærunt, ubi non deberent.

Pun-

Punctum III. Ignavi ac tepidi in Divino ſervitio, in præſenti periculo ſunt, ne cancrino more retrogrediantur, & æternùm damnentur: ſemper tibi diſpliceat, quod es, inquit D. Auguſtinus, ſi vis pervenire ad id, quod nondum es: nam ubi tibi placuiſti, ibi remanſiſti: ſi autem dixeris, ſufficit, & periiſti. Tom. 10. ſer. 15. de verbis Apoſtoli, cap. 15. Vita hæc noſtra rapidi torrentis ſpeciem præbet, in quo procellæ ſunt paſſiones; quæ continuò nos retroagunt: navicula eſt anima, quæ niſi omni vi propellatur, malarum impetu affectionum abripitur, & ad ſcopulos alliſa, in æternæ damnationis vortices abſorbetur. Horreſce denuntiationem ſeveri judicis: utinam frigidus eſſes, aut calidus: ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Apo. 3. v. 16. Si fortè deſciviſti à primo fervore obedientiæ tuæ, orationis, ſolitudinis, mortificationis, amoris &c. Memor eſto, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac, ſin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris Apoc. 2. v. 8.

Punctum IV. Quinam ſunt tepidi in ſpiritu? qui nec frigidi, nec calidi ſunt, hoc eſt, non tam reprobi, quales ii, qui peccatis mor-

talibus obnoxiam habent animam ; nec tam probi, uti conditio & ſtatus illorum exigit: intermittunt facilè exercitia ſua ſpiritualia; diſtrahuntur in orationibus propriâ ſuâ culpâ; difficulter colligunt animum; horrent ſolitudinem, ut carnis catenam: effundunt ſe in creaturas, eoque interna cordis ſolatia deperdunt: indulgent corpori quietem ſuperfluam, ſomnum, otium; laxant habenas paſſionibus, niſi dum proximum imminet peccati gravioris periculum; tunc enim adhuc eos reſilire videre eſt: ſunt humiles, cùm nemo eos contemnit; patientes, cùm nullus obloquitur; pii, cùm à DEo paſcuntur ſolatiis; humani & affabiles: cùm agunt & verſantur inter ſui ſimiles: ſecus verò ſi quid acciderit, omne animo effluit virtutis ſtudium. Conqueretur aliquando de his ignavis Chriſtus, quòd ſuis ingrati beneficiis, tot à ſe datas gratias tontempſerint: quòd multos ſcandalizârint; & quòd in Eccleſia DEi nec maculam, nec rugam habente, tot ſe peccatis vitæ ſuæ imperfectæ, redemptionis ſuæ fine fruſtrati contaminaverint. Tum dicetur: Quid eſt, quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? Jere. 11. v. 15. Fuiſtine hucuſque ex hoc ignavorum numero? Tum ſurge, qui dormis Eph. 5. v. 14. & eſto deinceps alius.

Sacra

SACRA LECTIO.

EX Thoma à Kempis l. 3. cap. 9. & 10. Ex Cibo Elect. part. 2. Instruct. 1. & 2. Ex Libello Exercitiorum S. Ignatii. Regulæ, ut cum Orthodoxa Ecclesia verè sentiamus. pag. 207.

DIES SECUNDUS.

MEDITATIO PRIMA.

De gravitate peccati, quæ ex suppliciis Angelorum & hominum peccantium elucet.

PUnctum I. Quàm felix & fortunata fuit Luciferi, & Sodalium Angelorum conditio, antequàm peccato contaminarentur? Depingit eam Ezechiel: Tu signaculum pulchritudinis; plenus sapientiâ; & perfectus decore in deliciis Paradisi fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Ezech. 28. v. 13. Erant Angeli, quo ad ingenitam naturæ dignitatem, & gratiæ supernaturalis decora nobilissimi ac pulcherrimi spiritus: in DEum Conditorem suum amore ardentissimo ferebantur, cum spe certa DEum ab ipsis propediem beato intuitu visum iri. At ubi divino mandato jubebantur, se se DEo homini submittere, si DEI filius humanam naturam assumeret, reluctati sunt Lucifer, & ejus asseclæ, ausisque superbis à supremo Principe contenderunt; si quæ creatura su-

pra conditionem ſuam ad Divinam dignitatem evehenda eſſet, nulla eveheretur alia niſi Angelica, humanâ longè excellentior. Ecce tibi eodem loci veſtigio id impletum eſt, quod Chriſtus poſtea edixit: Videbam Satanam, ſicut fulgur de cœlo cadentem Luc. 10. v. 19. Angelus ſpecioſiſſimus in teterrimum dæmonem; ſummus DEI amicus, in hoſtem acerbiſſimum funeſtâ metamorphoſi eſt transformatus: æternùm projectus à DEI facie, annos jam propè ſexies millenos ardet, æternumque ardebit: jacet catenatus in tenebroſa & horrida inferni ſpecu, qui olim auguſtiſſima cœli palatia inambulabat: intellectus Angeli totus obtenebratus eſt; voluntas obfirmata in malo, pro fide perfidia, pro ſpe deſperatio, pro amore odia nunquam moritura ſucceſſerunt. Paucis ſpiritus ex omni parte beatiſſimus, ſubitò infeliciſſimus evaſit, & talis æternùm erit. Libeat nunc tua cum Angelorum delictis comparare: Angeli deliquêre ſemel; tu millies: illi cogitatione unicâ; tu cogitationionibus, verbis & operibus innumeris: pro illis DEi Filius mortem non ſubiit; uti pro te ſubiit atrociſſimam: illi erant excellentiſſimi Genii; tu miſer terræ vermiculus: & tamen Angelos DEus in orcum condemnavit, idque jure meritiſſimo: quia

Dei

Dei majeſtas ab Angelis offenſa, eſt infinita. Si jam DEus Angelis peccantibus non peperčit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reſervari. 2. Pet. 2. v. 4. Quid te futurum cenſes? ſi poculum aureum, in quo unica eſt veneni gutta, è cæleſti menſa deturbatur, túne in illam te inferendum ſperes, qui vas es luteum, toxico & ſordibus pleniſſimum? ſi Angelorum fortiſſimus, unius peccati pondere, deprimitur in abyſſum, quo pacto tu tot ſceleribus gravis in cœlum conſurges? Gere te deinceps ſubmiſsè, & execrare, quidquid viam munire poteſt ad tantum malum.

Punctum II. Legislator DEus primo hominum parenti id præcepti dedit: Ex omni ligno comede; de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Geneſ. 2. v. 16. Quia verò Adamus benevolo & tenero in conjugem ſuam amore victus, divinum mandatum prævaricatus eſt, hinc & ipſe, & conjunx, & nos, quotquot ſumus homines, è Paradiſo deliciarum horto ejecti, & in orbis hujus exilium relegati ſumus Quòd modò innumeris & quidem incognitis urgeamur morbis; quòd ſtatutum ſit omnibus ſemel mori; quòd tot crudelia &

exitiosa bella in orbe sint exercitata; quòd urbes usurariis, domus furibus, sylvæ & saltus prædonibus; mare piratis; tribunalia iniquis judicibus scateant: quòd rudes nascamur & omnium rerum inscii; quòd proni sint sensus hominis in malum ab adolescentia, & caro concupiscat adversus spiritum, quòd nondum nati, privemur originali justitiâ, cujus subsidio homo perfectè sine ulla levi noxa divinis mandatis obtemperasset; quæ sensuum motiones omnes rationis imperio subdidisset; quæ ita disposuisset corpus ne unquam animæ functiones impediisset; quòd nascamur omnes filii iræ, & labe originariâ infecti; quòd plurimi infantes sine baptismo moriantur, & cœlo æternùm excidant; quòd potissima hominum pars ad inferni supplicia ruant præcipites etsi omnibus in cœlum aditum Christus morte reserârit; hæc aliaque id genus numero infinita, pœnæ sunt & supplicia, queis unicam Adæ culpam, unicum pomi morsum DEus justè persequitur. Ex hoc draconis utero tot venenati serpentes prorepsêre: ob hoc unicum delictum, tota hominum natio velut ad metalla damnata est. Libeat exclamare: Tantæne animis cælestibus iræ? Et tamen, justus es Domine, & rectum judicium tuum, pœnæque omnes recensitæ, non, dum

dum æquant culpæ malitiam. Quis non horrore percellatur, si vel peccati memoria mentem subeat? quis nolit mori millies? quis multiplicis vitæ præteritæ excessus non statuat acerrimè vindicare, cùm parens Adamus culpam suam nongentorum annorum pœnitudine, laboreque expiârit?

Punctum III. Intuere Christum ex cruce pendentem: quo pacto corona spinea caput ejus sanctissimum pungat undique; clavi trabales, manus pedesque perfodiant; corpus totum dirè vulneratum sit; membra per crucis trabem crudeliter extensa; cor desolatione & angoribus obruatur. Audi lamentantem JEsum: O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiavi, me, ut locutus est Dominus, in die iræ furoris sui. Thren. 1. v. 12. Unde ista vulnera, mi JEsu? unde dolores isti? Respodet D. Paulus: Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Rom. 8. v. 32. Et ante Paulum Isaias Propheta: Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Isa. 53. v. 5. Si tam acerbè Pater æternus in filio dilectissimo & innocentissimo plectit aliena crimina, quâ igitur acerbitate castigabit aliquando delicta gravissima servi contu-

macis & improbi? si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Luc. 23. v. 32. Agnosce hîc tam grave & mortiferum esse vel unius gravioris delicti vulnus, ut curari nequeat, nisi sangvine & morte ipsiúsmet Filii DEi. Omnium omnino hominum Angelorumque preces, lacrymæ, opera licèt sanctissima, nec unam lethalem noxam ita possunt eluere, ut piaculis suis Divinæ Justitiæ rigori satisfaciant. Quàm itaque malum peccatum est! Toto pectore gratias age DEi Filio, qui cruciatibus tantis, & pretioso suo sangvine maculas tuas abstersit; obsecra ardentissimè, ne mors ejus & passio apud te incassum recidant; erubesce, quòd superbiâ tuâ Christo coronam spineam; gulæ illecebris sitim extremam &c. causâris: quòd benignissimum Redemptorem tuum peccatis quotidianis iterum iterûmque in crucem egeris.

Punctum IV. DEUS peccatum mortale vel semel admissum vindicat damnatione, & suppliciis æternis: Hujus rei circumstantias expendamus. Quis est, qui tam crudeliter puniat? DEUS Pater misericordiarum; DEus, cujus miserationes sunt super omnia opera ejus; DEus tui gratiâ homo factus, & mortem acerbissimam perpessus; DEus agno mansvetior: at ubi pec-

canti

canti indignatur, ab eoque pœnas parat repetere, ferocissimum leonem induit. Quem punit? Hominem à se ad imaginem suam conditum, & suo redemptum sangvine; & fortè, id genns hominem, qui olim vixit sanctè, miracula patravit; at paulatim à primo fervore remittens, & in peccata graviora delapsus, iisque immortuus, tandem justo DEI judicio damnatur in æternum. Queis jam punit suppliciis? Inferni & sempiternis; cum quibus si omnem martyrum lanienas, ac morbidorum & morientium dolores, angoresque conferas, deliciæ sunt istæ & refrigerium O quàm multi modò iis ignibus torquentur, qui eadem tecum, aut etiam pauciora & leviora peccata commiserunt! Cur non & tu in eadem damnatione es? solius id est DEI miserentis beneficium. Quare cum Davide exclama: Confitebor tibi Domine DEus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum. Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori. Ps. 85. v. 12. Dic age, si damnatorum quispiam modò ad vitam redire permitteretur, quid faceret? Id tu jam facito, & vitam deinceps vive humilem, plenam pœnitentiæ, & peccatis vacuam. Nam in rei veritate, torris es infernalis, quem Divina bonitas ex igne infernali eruit.

MEDITATIO SECUNDA
De multitudine & gravitate peccatorum propriorum

PUnctum I. Percurre præteritos vitæ annos, & occupationes quotidianas, nec sine singulari pietatis sensu cum Rege Ezechia suspira: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ Isa. 38. v. 15. & mox ingentem scelerum copiam in teipso deprehendes, & præter hæc à te cognita, restabunt complura alia, ab oculis tuis absconsa & occulta, pro quibus deprecatur Propheta Regius: ab occultis meis munda me. Psal. 18. v. 13. Dicuntur autem occulta tum quia de memoria exciderunt; tum quia indoles & malitia certorum lubrica sæpe est, ac subtilis, vix ut agnosci queat, uti sunt appetitus vanæ gloriæ, impura mentis oblectatio, intentio non recta, & id genus alia; tum quia dæmon vaferrimus est, in Angelum lucis se transfigurans, & iniquis suis machinationibus pietatem probè gnarus prætexere. Hæ igitur seu notæ seu occultæ noxæ, à te toties repetitæ, cum apud te numerum efficient, ut fateri cogaris cum Rege Pœnitente: Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei. Psal. 39. v. 13. Quocirca venerare patientiam & mansvetudinem supremi Principis, qui non unâ, sed innumeris à te affe-

affectus injuriis non exarsit: nec pænam intulit, cùm tu ad minimam tui offensiunculam effervescas, & ultionem pares. Hoc quàm dedeceat te tot peccatorum reum, ex divina in te clementia habes colligere.

Punctum II. Quid est peccatum mortale? Est illud, præmeditata divinæ legis transgressio; impudens hominis à DEo fuga, & ad inanem creaturam, cum summa Divinæ majestatis despicientia accessio: conqueritur de illa DEus: Duo mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Jere. 2. v. 13. Est peccatum jactura divinæ gratiæ & amicitiæ; morbus, cui nihil medebitur, nisi sangvis unigeniti Filii DEi; confusio naturæ, quæ hominem cælo natum, jumentis insipientibus comparat, & rationem carnis tyrannidi subjicit; mors, à qua solus te DEus excitare potest; proditio, quâ mentis nostræ munitio perfidè traditur diabolo; sacrilega profanatio templi DEI; furtum, quo te ipsum DEo, cui totus devinctus es, impiè subtrahis, & Diabolo mancipas; adulterium, quo anima in baptismo juratam DEo fidem violat, & sese perjura prostituit creaturis vanissimis. Ea est noxæ lethalis nequitia, quam Angelorum, homi-

numque nemo, intelligentiâ comprehendat: solus DEus est, qui eam habet cognitam, qui & solus majestatem suam peccato offensam perfectè novit. Hinc est, quòd minetur peccatori DEus: Hæc fecisti, & tacui. Existimasti iniquè, quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam. Ps. 49. v. 21. Has minas ut evites non abs re erit, ut tua in te ipso delicta ulciscaris, & rebus duris Numini propitiando deinceps des operam. Profectò si vitæ tuæ turpitudinem probè agnosceres, præ pudore in ipsas terræ latebras te abderes.

Punctum III. Quis es tu, qui peccasti? vilis & abjectus homuncio, cujus corpus non è cælorum aut siderum materia, sed ex limo terræ formatum est. Quem ergo teipsum facis? Quid superbis terra & cinis? Corpus tuum vas est spurcitie & sordibus refertum; & paulò post in prædam & escam cedet vermibus. Animus culpâ originali sordidus, conditus est è nihilo, & in nihilum suum rediret ocyùs, si manum conservatricem DEus subtraheret: densâ ignorantiæ caligine offusus est, & motionibus brutis fertur in illicita. Jam verò quis tu es, si conferâre cum unviverso hominum cœtu, inter quos tam multi robusti, potentes, sapientes, nobiles? Ad hos omnes, tu ferè nihil es.

Quis

Quis es comparatus cum novem Angelorum choris, & tantis Electorum turbis? sanè nihil es. Quis tandem es, si cum mundo universo componaris, quantùm is res visibiles & invisibiles complectitur? minus es nihilo. Et quid mundus universus est ad DEUM? Omnes gentes quasi non sint, inquit Isaias, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei. Isa. 40. v. 17. Tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum; & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram Sap. 1. v. 23. Et tu tam vilis, tam sordidus, tremendum ac supremum Numen ausus es tot injuriis lacessere? An non justa tibi causa est, ut temeritatem tuam defleas? ut infernum timeas? ut omnium sis peripsema, & omnium pedibus conculceris?

Punctum IV. Quis demum ille est, quem peccando offendisti? DEus Optimus, Maximus. Et culpa quidem eò est gravior, quò melior ac dignior est is, qui offensus est. Tu autem offendisti eum, qui est creator tuus, redemptor, sanctificator, summus benefactor, insuper & sponsus animæ tuæ; qui est infinitè sapiens, quem nec minima noxa latet; infinitè bonus, cui nulla potest placere iniquitas; infinitè potens, cujus ultricem manum nemo valet effugere; qui est abys-

sus

ſus omnis bonitatis, perfectionis, & excellentiæ; qui eſt pulcherrimus, benigniſſimus, omni cultu & amore digniſſimus DEus. Et hunc DEum tu in gratiam ſpurcæ & vilis voluptatulæ contempſiſti, illuſiſti, conculcaſti: huic DEO, cujus nutui perfectè obtemperant Angeli, & creaturæ rationis expertes, huic, inquam, DEo tu fuiſti refractarius: contra DEum hunc cum Angelis rebellibus & apoſtaticis per ſummum ſcelus conſpiraſti. Digniſſimus ergo es, in quem orbis univerſus conſpiret; quem terra deglutiat; quem undæ ſubmergant; quem àër ſuffocet; qui fulminis ictu deflagres; quem Angeli dæmonibus tradant excruciandum. Cenſe te meritum eſſe, ut paſſim in compitis, te homines ſannis, luto & lapidibus inſectentur. Decerne vitam tuam deinceps ducere, in pulvere & cinere, in extremo tui contemptu: in luctu & lachrymis; in laboribus pro DEo indefeſſis; in voluntaria corporis maceratione.

MEDITATIO TERTIA.

De peccatis venialibus.

PUnctum I. Conſidera ingentem numerum noxarum venialium, in quas totius vitæ curriculo incidiſti. Fortè aſcendet numerus ad quinquaginta aut centum millia? fortè idem ipſe adhuc major eſt? O quale

le hoc chaos eſt! qualis abyſſus eſt hæc! Anima tua vitiosâ hac ſcabie & puſtulis adeo fœda eſt, ut amplecti eam & oſculari Divinus ſponſus exhorreat. Examina ulteriùs, quanta ſit militia cujuſcunque talis peccati. Sanè iſtiuſmodi labem, etiam noſtrâ opinione minimam leviſſimamque ita averſantur puriſſimi Divinæ majeſtatis oculi, ut ſi terra ſancta, & plagæ chriſtianæ omnes è Turcarum tyrannide eripi; omnes Turcæ & infideles chriſtianis ſacris imbui, omnes hæretici ad fidem orthodoxam traduci; peccatores omnes in ſanctos maximos unius jocoſi mendacioli beneficio tranſmutari poſſent, DEus tamen, ſapientiſſimus rerum æſtimator, nunquam illud edici vellet, probaretque. Hæc eſt fidei chriſtianæ veritas, non eſſe facienda mala etiam leviſſima, ut inde eveniant bona. Et tu propter nugas, reſpectus, timoreſque humanos, exigua ſenſuum oblectamenta, vanam gloriam toties animam tuam commaculas? & bibis, quaſi aquam, iniquitatem?

Punctum II. In hac mortali vita ſæpenumerò DEus leves has noxas gravibus ſuppliciis vindicavit. Exemplo tibi ſit David Rex ſanctiſſimus. Is ſtimulo incitatus inanis gloriæ (quam Scripturæ interpretes, & ſancti Patres nonniſi venialem agnoſcunt) ſubdi-

ſubditos ſuos luſtrari fecerat, ut noſſet, quot poſſet in campum educere. Ob hanc animi elatiunculam DEus vindex ſeptuaginta armatorum millia peſte ſuſtulit. Tantæ igitur nequitiæ eſt peccatum veniale unicum coram oculis DEI juſtè liberantis omnia, ut cædem ſeptuagies mille hominum huic culpæ debitam decernat. Idem rigor elucet in Ezechia Rege, qui in divitiis ſuis & theſauris ſibi vanè complacens, eos coram legatis Aſſyriis recluſerat, & ambitioſiùs oſtentârat: quod tantopere DEo diſplicuit, ut extemplo ad Regem miſerit Iſaiam Prophetam vaticinaturum: Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua & quæ condiderunt Patres tui in diem hanc in Babylonem; non remanebit quidquam, ait Dominus 4. Reg. 20. v. 17. Huic oraculo reſpondit eventus, quando Nabuchodonoſor Hieroſolymam vi & armis expugnavit. En tanta pœna ſubeunda eſt Ezechiæ, ejus ſanctitatis viro, ut DEo dicere auſus ſit: Obſecro Domine, memento quæſo, quomodo ambulaverim coram te, in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt, coram te fecerim 4. Reg. 20. v. 3. Semel duntaxat deliquit, & leviter, & delictum totius regni depopulatione, & regiæ urbis excidio luendum fuit. Quàm ſæpe peccatis tuis cauſa

fuiſti,

fuiſti, quòd ſuam tibi DEus benedictionem ſubtraxerit, & conſilia tua non fortunârit? Imò propter exceſſus tuos communitates integræ & Reſpublicæ pati & affligi debuêre.

Punctum III. Multò acerbiùs plectit DEUS veniale peccatum in purgantibus flammis. Sit in anima quapiam, poſtquam diſceſſit à corpore, labes nonniſi unica: ſint in eadem merita Divorum Apoſtolorum Petri & Pauli, à DEi tamen conſpectu tamdiu arcebitur, donec plenè expiata ſit: non enim intrabit in cœlum, aliquid coinquinatum. Quàm igitur diuturna à DEi vultu disjunctio. Quàm acres purgatorii ignes manent animam tuam tot noxarum millibus inquinatam? Quantoperè dolet aulicus, ſi jubetur è regia faceſſere? quàm tu ſentires, ſi nullus hominum in hac civitate te ferre poſſet? Multò tu feres acerbiùs, ſi ad tempus bene longum te DEus à conſpectu ſuo repellat in cujus fruitione ſita eſt felicitas tua, & quæ tibi à morte mox obtingeret ni peccatis tuis injeciſſes remoram. Eveniet tum tibi, quod nautæ, qui poſt longam, periculoſamque navigationem, portum intraturus, ſubitò coortâ tempeſtate, in medios maris fluctus rejicitur. Præter hanc pœnam damni, ſæviſſima erunt toleranda incendia, quæ, uti Patres & Theologi uno

ore

ore asserunt, omnes hujus vitæ cruciatus diritate suâ excedunt. Hîc te interrogo: vellesne peccare, si peccato perpetrato ocyùs in foro publico per carnificem esses comburendus? Nequaquam. Qui igitur levi noxa tam temerè & tam sæpe te obstringis, cùm divinis oraculis certus sis, etiam verbum aliquod otiosum purgatorii flammis multatum iri.

Punctum IV. Leves excessus sæpe sunt periculosi, sternuntque viam ad graviores & deniquè ad exitium sempiternum. Vates regius aspectu curioso, (qui principio capitalis non erat, & forsan etiam parum consideratus) intuitus est Bethsabeam. Inde in impuros amores; inde in adulterium; inde in homicidium cædemque innocentis Uriæ prolapsus est. Ergo levis, nec sat cautus in fœminam oculorum conjectus, in geminum nefas Davidem præcipitem dedit: quem virum? virum secundùm cor DEI. Quâ igitur temeritate tu tibi ipsi præfidis, qui nec mentis constantiâ, nec vitæ sanctimoniâ cum Davide comparandus es? Per salutem animæ tuæ te rogo: omni studio culpas quoque minimas caveto, præsertim in materia pudicitiæ, iræ, detractionis, cibi, potusque superflui: nam ex his pronior est lapsus in graviora facinora.

LE-

LECTIO SACRA.

EX Thoma de Kempis 6. & 21. caput lib. 1. Ex Cibo Electo 3. & 4. Instru. Par. 2. Ex libello Exerc. de operibus satisfactionis, & pœnitentiæ pag. 68. & Regulæ de temperando victu.

DIES TERTIUS.

MEDITATIO PRIMA.

De Morte.

PUnctum I. Mors certa est. Fatentur id quidem omnes ore; sed pauci re & opere. Et tamen experientia quotidiana cum fide docet, omnes nos mori oportere. Breves dies hominis, ait Job, numerus mensium ejus apud te est: tu posuisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Job. 14. v. 8 Si igitur terminus tuus est vicesimus, vel quadragesimus, vel septuagesimus annus ad eum vita tua pertinget, nec supra ascendet. Statutum est hominibus semel mori. Heb. 9. v. 27. Leges sæcularium principum telis aranearum sunt similes, quæ muscas quidem irretiunt & implicant, non autem aves grandiores, quæ pervolant: sed mortis divina lex omnes obligat, & omnes implicat. Ubi sunt principes gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram. Ubi Samson heros ille fortissimus? ubi sapientissimus Salomon? ubi pulcher Absa-

lom

lom? Exterminati ſunt, ... & alii loco eorum ſurrexerunt. Baruch 3. v. 16. Eadem te, quæ illos, ſors manet; abeundum tibi hinc eſt, & mors ſpoliabit te bonis omnibus vitæ hujus. Tunc oculi non videbunt ampliùs ea, quæ pulchra ſunt: obturabuntur aures ad voces & cantus: lingva nec potum guſtabit, nec cibum: cor nihil amabit, nihil habebit odio: corpus cum fœtore putreſcet: tum ſponſa ſponſo, & amicus amico tanto horrori & faſtidio erit, ut alter alterum properè domo efferri deſideret: tum mortali involvêris ſindone, & efferreris, non in palatium, aut domum nobilem, ſed in tumulum anguſtiſſimum: in tumulo ſubter te, ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Iſaiæ. 14. v 11. Quotquot te aſpecturi ſunt, cum ſtupore clamabunt: Hæccine eſt illa Iezabel. 4. Reg. 9 v. 37. Ex his, qui ſapit, rectè ſecum ipſe concludet; quandoquidem DEus mihi nunc vitam concedit, omnia hujus vitæ momenta uni ejus honori conſecrabo: & quia mors me etiam invitum, à caducis mundi rebus ſeparabit; nulli animum inordinato affectu affigi patiar, & quia nihil hinc mecum auferam, præter bona opera: operemur bonum, dum tempus habemus. Gal. 6. v. 10. Venit enim nox, & nemo poteſt operari. Joan. 9. v. 4.

Pun,

Punctum II. Licèt mors certa ſit, hora tamen, locus, & modus mortis incertus eſt. Neſçit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò ſupervenerit. Eccl. 9. v. 12. Piſces & aves mortem inveniunt, cùm vitam quærunt; ſic plurimi mortalium pereunt, cùm animo nulla incidit de morte cogitatio. Latronem mors agit, quæ nos in itinere ad cælum conſtitutos, planè incautos adoritur, ſterni̧tque. Propterea monet Chriſtus: Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret pater familias, quâ horâ fur veniret, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Et vos eſtote parati, quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet. Luc. 12. v 39. Quamobrem cùm tibi & annus, & menſis, & ſeptimana, & dies, & hora mortis tuæ incognita ſit, oportet te ſemper excubare vigilem: is autem vigilat, qui in ſtatu gratiæ eſt, corque ſuum omnis generis virtutibus adornat, Momentum mortis tuæ principium eſt felicis aut infelicis æternitatis. Si lignum ceciderit ad auſtrum cæleſtis gloriæ, aut ad aquilonem damnationis perpetuæ, in quocunque loco ceciderit ibi erit. Eccl 11. v. 3. Quò tu modò caderes, ſi nunc exſcindereris?

Pun-

Punctum III. Mors malis, mala eſt, & amara. Rei, qui in carceribus detinentur, ſemper quidem ſunt triſtes; ſed eo potiſſimùm die, quo judici ſiſtendi, ut fatalis in eos ſententia feratur. Ita quoque peccatoris animus, vitam totam peccatis angitur, verùm angor ille, dum mors inſtat, longè maximus eſt: nam imprimis quæ admiſiſti ſcelera coanguſtabunt te undique clamabis cum Davide: circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me; dolores inferni circumdederunt me; præoccupaverunt me laquei mortis, Pſa. 17. v. 5. Quis ſibi lethiferæ noxæ onus imponat, quod in fatali lectulo, ita te premet graviter, ut adhuc vivus & ſpirans, tibi in inferno eſſe videâre, & damnatæ conſcientiæ æſtibus jactari? Deinde affliget te malè impenſum tempus. Horam unam, exiguum pœnitendi ſpatium, deſiderabis; nec concedetur. Tertiò dolebis, à te tantum neglectum boni, conciones ſacras faſtiditas; eleemoſynas negatas; divinos inſtinctus repudiatos; Sacramentorum perceptionem, & pietatis exercitia aut omiſſa penitus, aut frigidè duntaxat, & perfunctoriè obita. Quapropter nunc, quodcunque poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud

apud inferos; quò tu properas. Eccl. 9. v. 10. Quartò non parum te cruciabit, quòd à creaturis tantoperè tibi dilectis, ab amicis, liberis, voluptatibus, divitiis, honoribus discedendum sit: nam quò altius dens increvit, eò difficiliùs dolentiusque extrahitur. Satius est modò non nimis impensè cor creaturis addicere, ne aliquando audiatur; Itáne separat amara mors? 1. Reg. 15. v. 32. Quintò conturbabit te timor imminentis judicii, nam judicem offendisti sæpiùs, Tutelari Angelo reluctatus es, conscientiam suppressisti, adhæsisti Diabolo, neminem Sanctorum tibi in patronum conciliâsti. Denique dæmon vel formâ visibili, vel modo invisibili te fortissimè oppugnabit, descendens ad te, & habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet. Apoc. 12. v. 12 Emenda nunc vitam reprobam, cujus finis plerumque est mala & amara mors: Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Gal. 6. v. 8.

Punctum IV. Mors probis amœna est, & plena solatii. Justorum autem animæ in manu DEI sunt, inquit Salomon, & non tanget illos tormentum mortis Sap. 3. v. 1. Ultimus mortis angor, quo impiorum corda prementur, justos non continget. Mors justis est finis laborum complementum vi-

ctoriæ, patriæ cælestis portus, & porta vitæ, aditus beatitudinis, liberatio ex peccatorum periculis, plena passionum suppressio. Quid ergo justos in agone conturbet? Vita eorum præterita aut innocua est, aut pœnitentiâ laudabilis: bonis transitoriis non inhiârunt: si morituros forti impetu infestet dæmon; solatur & tuetur amicos suos Christus, cum pientissima Matre, & Sanctis omnibus: demum nec propinquum Judicis tribunal formidabunt, coram quo, Judicem ipsum causæ suæ faventem, Patronum autem Custodem Angelum, & conscientiam minimè refragantem habebunt. Fortasse optas tibi, quod olim Balaam, etsi impiùs, sibi contingere desideravit: Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia. Num. 23. v. 10. sed ita vive, ut dicere cum Apostolo possis: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ. 1. Tim. 4. v. 7.

MEDITATIO SECUNDA
De Judicio particulari.

PUnctum I. Plenus horrore & terrore est ordo hujus judicii, & omnia quæ in eo geruntur, sunt terribilia 1. Anima sola & solitaria ab omnibus hujus mundi creaturis deserta, viam æternitatis ingredietur, nullo

stipata

ſtipata comitatu, niſi bonorum & malorum operum, quæ fecit. 2. Eo quo morieris loco, & momento, judicaberis, adeoque pleriſque mortalium mortualis lectus, in quo expirant, tribunal eſt, in quo audiunt ſententiam: & quis audebit igitur in cubili ſuo peccare? 3. Accuſator erit diabolus, idem ipſe, qui ad peccata nunc incitat. Putáſne cum tali complice furaturum furem, qui mox à furto Judici ſe proderet? 4. Teſtis erit propria conſcientia, in qua omnia, quæ feciſti peccata, ad apicem diſtinctiſſimè, conſcripta ſunt. Ne igitur modò vulneremus conſcientiam, neque illius dictamini refragemur. 5. Judex eſt Chriſtus omniſcius cujus oculis nihil eſt occultum; juſtiſſimus, qui nullis movetur blanditiis aut donis, nullis minis terretur; ſupremus, à quo appellare non licet ad alium; potentiſſimus, qui ſententiam eodem quo pronuntiârit momento, ſine ullo obſtaculo exequetur. Conſidera, an rationabile id ſit, talem judicem nunc temporis temerè offendere, an verò non multò rationabilius & melius, illius amicitiam & gratiam omni obſequio aucupari, & promereri? 6. Examen rigidum erit & exactum: interrogabit enim te Judex, quàm gratum divinis beneficiis creationis, redemptionis, juſtificationis &c te

ipſum præbueris : num ad ipſius gloriam uſus ſis ſenſibus externis, membris corporis, tribus animæ potentiis : quâ ratione tot millenas horas, & tot momentorum milliones vitæ tuæ impenderis : quem fructum retuleris ex toties repetita Sacramentorum frequentia : quomodo, quâ intentione bona opera perfeceris : quantum boni omiſeris: quomodo divinis inſpirationibus ſis obſecutus. Verbo: nihil erit tam minutum & exile in verbo, cogitatione & opere, quod non omne hic Judex rimaturus ſit. O rigidâ, ô ſevera ratio, quæ exigitur & redditur! Quàm bene precatur David: non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Pſ. 42. v. 2. Potes hujus judicii tam tremendum rigorem lenire, imò evadere, ſi ſequaris Pauli conſilium. Nam ſi noſmetipſos judicaremus, non utique judicaremur. 1. Cor. 11. v. 11. Judica igitur tu ipſe opera tua bona & mala: de peccatis præteritis pœnitentiam age, & ea in poſterum evita: multum operare pro DEI gloria, omnia adhibe media, quibus poſſis jam nunc, animum tui judicis & favorem lucrari, & cùm hæc feceris, cogita te ſervum eſſe inutilem.

Punctum II. Quale lumen, & quæ rerum nova cognitio tunc illicò orietur in a-

nima

nima? quàm erunt illi alia prorſus tum ſenſa coram illo tribunali, quàm nunc ſunt in mundo? Velut ſolaris radius multa atomorum & pulviſculorum millia manifeſtat, quæ ante fugiebant oculum, & veluti cribrum patefacit, quòd in optimo polline multi furfures immixti latuerint: & velut aurum adulterinum ab optimo, lapide lydio ſecernitur: ita Chriſtus radiis ſuis, cribro & coticulâ exacti ſui judicii multa errata deteget, quæ modò nobis incognita ſunt & abſcondita coram oculis noſtris. Tunc videbis unicum otioſum verbum pejus eſſe omnibus hujus mundi malis; unicum divinæ gratiæ gradum pretioſiorem eſſe omnibus Regum theſauris; tunc videbis divitias eſſe ſtercora, honores eſſe fumum, voluptates eſſe ſpumam, & inſtar bullarum evanuiſſe. Tunc videbis beatius eſſe vivere, cum Lazaro in paupertate & miſeriis, quàm cum Epulone in purpura & conviviis, deprimere ſe cum Publicano, quàm extollere cum Phariſæo; pati perſecutionem & mortem cum innocentibus parvulis, quàm cum Herode illam inferre. Tunc nihil erit in pretio niſi virtus: tunc humani reſpectus ratio ſtatus, proprium intereſſe, illa in hoc orbe Magnatum idola ſuccumbent, & detractâ larvâ futulia agnoſcentur & noxia: &

valebit illud D. Petri: Oportet DEo magis obedire, quàm hominibus. Act. 5. v. 29. Et illud Christi: Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur. Matth. 16. v. 26. Si ergo judicandus es, non à mundo, sed DEo; non juxta erroneas mundi regulas, & leges; sed juxta Divina, & in sacris literis jam tum declarata principia & statuta, consequens sanè est, ut his, non illis conformiter vitam instituas, dicasque cum Paulo: Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die ..... Qui autem judicat me, Dominus est. 1. Cor. 4. v. 3. Nihil pro magno aut parvo; bono aut malo ducendum est, nisi quod tale est in oculis DEi.

Punctum III Omnino optabilis & amabilis est Justi & Electi sententia: Veni benedicte patris mei, posside regnum, quod tibi paratum est à constitutione mundi Matth. 25. v. 34. Vocem meam audivisti, quâ vocavi te: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Matt. 16. v. 24. Abnegâsti teipsum, idque in omnibus; mortuus tibi ipsi es, idque perfectè, crucem tulisti, idque libenter, secutus es me etiam in factis heroicis. Esurivi, & dedisti mihi manducare: sitivi, & dedisti mihi bibere: hospes eram, & collegisti

me,

me: nudus, & cooperuisti me: infirmus, & visitasti me: in carcere eram, & venisti ad me: quodcunque uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Age Christiana virgo, maluisti mori, quàm fædari; & tu Christiane Pater-familias verbis & exemplis familiam rexisti probè: & tu fili charissime, honorasti patrem & matrem juxta præceptum meum, & tu Religiose propter me reliquisti omnia: Veni ergo, veni benedicte, & posside regnum, cujus non erit finis, cujus pax & quies imperturbabilis, cujus divitiæ non deficiunt, cujus honores non marcescunt, cujus gaudium est plenum, cujus felicitas est æterna, & tanta, ut nec oculus viderit nec auris audiverit, nec in cor hominis ascenderit O lætam & beatam sententiam! Cor discipuli salit præ gaudio, & instar rosæ panditur, & dilatatur, cùm laudatur à magistro: miles non se capit præ lætitia, cùm à Duce præmio & gloriâ afficitur; & quali igitur gaudio perfundetur pia anima, quàm sic laudat & remuneratur DEus? Quis erit illi sensus ad primum cælestis aulæ ingressum, quando ab illa Electorum turba, quam dinumerare nemo potest, amicissimis penè obruetur amplexibus & salutationibus. Exultabunt ossa humiliata. Ps. 50. v. 10. Noli ergo ullius crucis, laboris, pressuræ capi jam

tædio aut faſtidio, quandoquidem tam felix eſt exitus, & pluris apud te valeat DEi præconium, quàm vana laus hominum.

Punctum IV. Horrenda eſt ſententia ferenda in impium & peccatorem. Diſcede à me maledicte in ignem æternum, qui paratus diabolo, & Angelis ejus. Ego te quidem creavi; Ego ſum principium tuum & finis; Ego te redemi. Quàm carò mihi ſteteris, id loqvuntur manuum, pedum & lateris mei vulnera. Vocavi te, & renuiſti: mandata mea protervè gulâ, luxuriâ, & irâ tuâ proculcaſti. Eſurivi, & non dediſti mihi manducare &c. Quodcunque non feciſti uni ex minimis meis, nec mihi feciſti. Diſcede ergo à me maledicte: æternùm proſcriptus eris à facie mea, à meorum conſortio, à parentibus tuis, qui mecum in cœlo habitant: ab Angelis meis, & benedicta Matre mea: Illa tibi ſe Matrem monſtravit: at tu tam benignæ Matris degener fuiſti filius. Quoties illa pro te ſuplex apud me nudavit ubera, & preces obtulit, quas tu tamen iteratis peccatis reddidiſti irritas. Abi itaque, & diabolo, quem velut Deum ac Dominum ſecutus es te æternum ſocia. Diſcede in ignem æternum, in quo cùm arſeris tot annis, quot ſunt in arboribus folia, in mari guttæ, in litore arenæ, in aëre atomi, tunc

tui

tui ardoris non finis ſed initium erit. O miſerum & luctuoſum, diſcedere! O horrendum & terribile, ardere! ad hæc verba Judicis, deſeret animam Tutelaris Angelus & dicet: Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata; derelinquamus eam. Jer. 51. v. 9. Eodem ipſo puncto temporis terra hiabit, & diabolus animam in inferni barathrum, ſecum crudeliſſimè rapiet. O quæ triſtitia, confuſio, deſperatio animam tunc obruet, cùm primùm igneos illos inferni carceres ingredietur! Hinc diſce, quid ſit peccare, quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum DEum tuum. Jerem. 2. v. 19.

MEDITATIO TERTIA.

De Inferno.

PUnctum I. Intuere mentis oculo locum & ſocietatem damnatorum, Locus ipſe, anguſtiſſimus carcer eſt, quem tenebræ undique, & fœtidiſſimæ ſordes occupant inquem damnati non aliter, ac lateritii lapides ſunt compacti. Quàm moleſta hæc erit & peracerba iis imprimis habitatio, qui magnificis ac delicioſis domuum & cubilium commoditatibus aſſueverunt. Socios eidem ſecum damnationi ſubjectos habent tùm Angelos, tum homines; & hos inter, quos ſceptra, coronæ, tiaræ, ducales pilei cæteris prætulerant, quos eximia Theolo-

giæ, & juris utriuſque peritia nobilitârat quos multa ſangvinis & familiaritatis conjunctio olim colligaverat, ut ſunt parentes, ſorores, fratres, filii, conſangvinei, & amici optimi: ſed nullæ iſtic amicitiæ fidelitatis aut amoris leges, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat Job. 10. v. 22. Capitales hîc alter cum altero inimicitias gerit. Continuis ſe invicem maledictis & execrationibus impetunt, illi præcipuè, quos impurus & præpoſterus in hac vita amor, & ſcelerata in peccando ſocietas intimiùs conjunxerat. Miſerrima ſanè conditio, cum illo infelicem vitam ducere, quem nec oculis, nec auribus ferre poſſis & æternùm debeas. Diſce hinc tuam cum omnibus amicitiam adamuſſim chriſtianæ legis, ita componere, ut nullo alio, quàm ſinceræ ac defœcatæ charitatis fundamento nitatur. Diſce prava conſortia cane pejus & angue vitare.

Punctum II. Diſcute pœnam, quæ ſenſus & extima damnati membra exercebit. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur Sap. 11. v. 17. Oculos in pœnam laſcivientis curioſitatis, fumida ignis tartarei (cui id proprium eſt, ut ardeat uratque, at non ut lucet) caligo caſtigabit ſtabunt aperti ſemper; nec quicquam tamen aliud, niſi dæmo-

num terribiles viſu formas, ſempiternos hoſtes ſuos, & tetrum inferni carcerem intuebuntur. Aures, quia hîc patuere ſpurcis ſermonibus, mœſtiſſimus deſperantium ejulatus, ſtridor dentium miſerabiles gemitus, horrenda in DEum & Sanctos maledicta & blaſphemiæ verberabunt. Nares ſulphureus ſtagni avernalis vapor & erumpens ex damnatorum corporibus fœtor affliget: infernali enim antro caminus & vaporarium deeſt, per quod tetra mephitis exhalet. I nunc delicatule, & naſum balſamo ungventiſque effœmina. Lingvam fel draconum, & venenum aſpidum; palatum canina fames ſitiſque torquebit. Dives Epulo tot jam ſæculis unicam aquæ guttulam orat, & nondum exorat. Tam nimirum carò ſtat ſua lingvæ, quà ciborum, quà verborum intemperies & libido. Totum quin imò corpus non ſecus ac carbo aut ferrum ignitum unus ignis erit, cui collatus hic noſter ſublunaris, picturam potiùs, quàm ignem refert. Devorabit hæc flamma intima carnis, & medullas oſſium. Audi Iſaiam: Quis poterit de vobis habitare cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? Iſa. 33. v. 14.

Quid? quòd orci incendia eos potiſſimum ſenſus & membra depaſcentur, quæ

præcipua fuerunt peccati instrumenta: Quodque in hoc genere horroris plenissimum est. DEus; quis DEus? DEus totius consolationis & misericordiæ intuebitur damnatos (creaturas suas à se conditas, suo redemptas sangvine) inter illos flammarum turbines, intuebitur, inquam, sine ullo commiserationis affectu: quin imò gaudebit, quòd justitiæ suæ rigorem in damnatis, hisce bestiis saturare possit. Eheu, peccatum, quantum & quàm abominabile malum hoc est? quò denique miseriarum miserrimos mortales deducit? hunc ignem tu cogita, & is facilè in te concupiscentiæ flammas extingvet. Tu posthac si sapis, sic membris, sic exterioribus utere sensibus, ut ne abutaris Quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, Jeremiæ 9. v. 21.

Punctum III. Nec minora sunt, quæ in tribus animæ facultatibus tormenta damnatus sustinet. Memoriam veluti fluctuantem oceanum, tumultuantes tristium imaginationum procellæ fluctusque concutient. Ante mentis oculos obversabuntur continuò bonorum & voluptatum illecebræ, queis vivens gavisus est, & quas modò pudor dolorque sempiternus excepit; tot millenæ horæ tanto suo dispendio malè impen-

impenſæ; tot abuudantiſſima ſalutis obtinendæ media, queis ſalutem tam commodè potuiſſet aſſequi, quàm aſſecuti ſunt tot alii, quibuſcum in eadem conditione ac domicilio convixit, tot peccata enormia, quæ viva conſcientiæ tabula omnium circumſtantiarum depicta coloribus uſque & uſque objiciet. Quales quantíque ſunt hi aculei, quàm atrocia mentis vulnera? Non errat D. Auguſtinus: Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla eſt major tribulatio, quàm conſcientia delictorum. Tom. 8. in Pſ. 45. Et tamen dum vitam hanc vivimus, nonnunquam Indormiſcit conſcientiæ vermis: at in inferno, uti Chriſtus teſtatur: Vermis eorum non moritur. Marc. 9. v. 43. Nulla ibi quies, nullum ſolatium; quis enim illius vel miculam ſuppeditaret? DEUS? is Judex eſt. Cælites? amici DEI ſunt, & qui pro Deo faciunt. Conſcientia? ipſa ſibi eſt carnifex. Socii? horum aſpectus adauget malum. Priſtinæ voluptates? abiêrunt illæ, & totæ quidem in dolores & anxietates. Id tibi ego conſilium do: cave, pecces in animam tuam; ſed dum tempus habes, operare bonum; vana & fluxa mundi oblectamenta, priùs deſere, quàm te deſerant in tempore malo.

Intellectum damnati excœcabunt æter-

næ illæ tenebræ, quas Theologi pœnam damni appellant, estque perpetua carentia visionis beatificæ. Eheu, jacturam incomparabilem! rejici, & æternùm rejici à sua beatitudine, hæreditate, patria, regno, à Deo suo, à summo, infinito, incomparabili bono, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Eheu malum quo non datur majus malum! illos imprimis manet isthæc cœcitas, illos, inquam, qui everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum. Dan. 13. v. 9. Damnati voluntas, obdurata in malum, & frugis melioris incapax, sempiternas in DEum, Divosque inimicitias parturiet, plena inquietudine & tumultu, desperationis abysso absorpta, quòd contra tot malorum fluctus semper luctetur, & eluctetur nunquam. Anima enim immortalis est; sententia divina in eam lata irrevocabilis; Ignis, quem patitur inextingvibilis, vermis, à quo roditur, enecari nequit. Hujus vitæ miseriæ cum morte finiuntur; at mors apud inferos quæritur, nec invenitur: Desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis. Apoc. 9. v. 6. Æterna igitur sunt inferni supplicia. O æternitas, æternitas, quàm longa est æternitas! Ride finituras mundi calamitates: defle æternum malum, quod solum

verè

verè eſt malum: omnem poſthac moveto lapidem, ut temetipſum & plures alios æternis híſce cruciatibus expedias.

Punctum IV. In præſentiſſimo verſaris periculo damnationis æternæ. Ipſe tibi, tu judex eſto: an non is miles extremo diſcrimini vitam expoſitam habet, quem in aperto campo integra hoſtilis legio circumſidet? eo in diſcrimine tu es. Natura corrupta, & ſuo pondere in malum inclinans, momentis ſingulis in præcipitia te propellit: Diabolus circuit continuò tanquam leo rugiens, quærens quem devoret: tam ſubdola inſuper eſt variorum peccatorum indoles; ut inter mortale & veniale non facilè diſcernas: quàm ſubitò moroſâ delectatione venereâ delinquitur? quàm celer eſt in dubitationem contra fidem conſenſus? quàm inconſiderati protrudimus ea, queis bona proximi fama graviùs vapulat? quàm facilè in his aliíſve criminum generibus tu impinges? Tu, inquam, qui homo iners & deſidioſus es, qui inſpirationes divinas repudiare conſveviſti; & tibi ipſi miniùm indulgens, vile paſſionum tuarum mancipium vivis. Et nulla tibi ſit timendi cauſa? nullum pereundi periculum? Aliter profectò ſenſerunt viri inter alios ſanctiſſimi. D. Paulus: Caſtigo, inquit corpus meum, & in ſervi-

ſervitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar. 1. Cor. 9. v. 27. Hæc marmorea & viva fidei columna, quæ ſuſtentat orbem, concutitur & contremiſcit, & tu, qui lignum es carie exeſum, omnis ſollicitudinis vitam expertem agas? ſi bene tecum deinceps actum volueris, cum metu & tremore operare ſalutem tuam, & quamcunque peccati occaſionem, imò & umbram devita. Qui ſtat, videat ne cadat, ſed indefeſſus contra torrentem tentationum diabolicarum enitatur, ne animæ navicula in abyſſum perditionis abripiatur.

LECTIO SACRA.

EX Thoma à Kempis lib. 1. c. 23. 24. & 25. ex Cibo Electo Part. 2. Inſtruct. 5. & 6. ex libello Exercitiorum utere tertio orandi modo, eoque aliquot Pſalmi quinquageſimi verſiculos pondera.

DIES QUARTUS.

MONITA PRO MEDITATIONIBUS.

Viæ Illuminativæ.

1. FInis ſequentium ſpiritualium Exercitiorum, eſt illuminatio & progreſſus in omni genere virtutum. Et quia Chriſtus perfectiſſimum eſt omnis ſanctitatis exemplar, & lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum Joan. 1. v. 9. Idcirco vitæ Chriſti myſteria ab ejus

incar-

incarnatione usque ad passionem expendenda & ponderanda suscipiuntur, ut ex iis, veram virtutem, vitæque sanctimoniam ediscas.

2. Pro fundamento ponitur Meditatio de regno Christi, in qua Christus velut Rex; ejus verò imitatio velut spiritualis pugna, adversus multos magnosque hostes describitur, & proponitur.

3 Loco obscuritatis, & tenebrarum, quas elapso triduo captâsti, sereno cælo & luce jam frui poteris.

4. Admittendæ quoque & accersendæ per diem, sunt, lætiores cogitationes, de amabilissimis hisce mysteriis. Examen verò particulare per sequens triduum instituatur de imitatione Christi, deque omnibus amore & exemplo JEsu tui præsenti tempore faciendis. Quem in finem adjunctis affectibus utere: O JEsu, quis es tu, & quis ego? quàm sumus tu & ego vitâ & moribus dissimiles! Volo à te discere, ut mitis sim, & humilis corde. Volo abnegare me ipsum, & tollere crucem meam quotidie, & sequi te. Luc. 9. v. 23.

MEDITATIO PRIMA.

De Regno JEsu Christi.

PUnctum I. Pone tibi ob oculos Regem aliquem, à tota Christianitate in caput electum

lectum, prudentiâ inter homines, & rerum seu bellicarum, seu politicarum peritiâ facilè principem, admodum benignum, mitem, affabilem; verbo, regiis omnibus dotibus apprimè instructum. Secundò. Is post aliquot annos imperii, in pacatissima quietè transactos, status suos & ordines convocat, eosque in hunc modum alloquitur: Certum mihi est, Fideles subditi mei Turcarum & infidelium regiones bello aggredi, & Christi jugo armatâ manu subjicere; si quis est vestrum, cui consilium hoc placeat; age dum sese mecum accingat. Fruetur eâdem sorte, quâ ego; equus, arma, vestis, cibus & lectus, mecum illi communis erit. In laboribus, vigiliis, periculis, excubiis, ego mihi primas vendico; sed vestrûm est sequi strenuè. Quidquid mihi spolii obvenerit, quicquid urbium, regionumque domuero, vos inter distribuam, ita tamen, ut ille plus auferat, qui meo exemplo generosiùs in hostem irruerit. Tertiò. Subditi omnes, in quibus vel gutta est ingenui sangvinis, huic Regi suo ad pares labores, pariaque pericula, imò & majora certatim se offerent; dicentque ad illum omnes, quod Ethai Gethæus ad Davidem. Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris Domine mi Rex, - ibi

erit

erit servus tuus. 2. Reg. 15. v. 21. Si quis verò parem cum Rege sortem detrectaret, meritò velut deses & excors cæterorum ludibriis exponendus erit. Quodsi nunc Rex ille terrenus, tale subditorum suorum obsequium, & promptam in mortis pericula sequelam meretur; quid non merebitur Christus infinitis modis tali Rege præstantior; & qui à nobis nihil fieri petit, nisi in quo ipse præivit, & pro mercede ac præmio nihil terrenum, sed cæleste regnum pollicetur? atque hæc tria sequentibus punctis enucleatiùs sunt ponderanda.

Punctum II. Si talis Rex, qualem modò depinximus, reperiretur alicubi in terris, nónne omnium manibus portaretur? & tamen quid habent ipsius dotes ad Christum? Ille ab hominibus electus esset, Christus ab æterno Patre. Ego autem constitutus sum (inquit) Rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus. Ps. 2. v. 6. Ille prudentiâ excelleret inter homines; Christus verò infinita est Patris æterni sapientia, cujus oculis nuda sunt omnia, præterita, præsentia, futura; quem nullus latet suorum defectus, nulla penuria: Ille benignus esset & mitis; at Christus sine ulla comparatione benignior: siquidem tam ipse misericors est, ut commiseratio ei sangvineum sudorem expresserit

ſerit, quando vel cogitatio; de ſuorum miſeria mentem ſubibat; tam ardens amore, ut pro hominibus cælum & ſinum ſvaviſſimum æterni Patris reliquerit; tam liberalis, ut nobis non modò, corpus noſtrum & animam, creaturas reliquas, multa ſupra naturam dona gratiaſque conceſſerit; verùm etiam proprium corpus & ſangvinem in cibum potumque donârit; tam eſt humanus, comis, affabilis, ut licèt ſit DEUS, cum diſcipulis tamen ſuis agat, ut frater, imò ut miniſter: Ego autem (inquit) in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Luc. 22. v. 27. Tam ſuavis & blandus erga afflictos & miſeros, ut ipſummet regnum ejus, ſit juſtitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto, Rom. 14. v. 17. Prior ille Rex magnæ authoritatis foret & potentiæ; at Chriſtus, majeſtatis & poteſtatis infinitæ, qui, quod vult, hoc poteſt: ille regnum ſuum ſollicitè obeundo, luſtraret; at Chriſtus itineribus iis non indiget, ubique per divinam immenſitatem diffuſus, & non modò in Regum palatiis, ſed & in ruſticorum tuguriis intimè præſens; ille militibus accuratè ſolveret ſtipendia, ſed ex tributis, quæ pendunt ſubditi; Chriſtus verò nullum vectigal aut collationem imperat; quin & debita noſtra apud æternum Patrem contracta

diſſol-

diſſolvit: illius regnum finem ſortiretur aliquando: de Chriſto autem Archangelus Gabriel enunciat: Dabit ipſi Dominus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Luc. 1. v. 32. Hîc pro tali rege tibi conceſſo, æterno Patri gratias age, juxta D. Pauli monitum: Gratias agentes DEO Patri, qui dignos nos fecit in patrem ſortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis ſuæ Coloſſ. 1. v. 12. Hîc ſtatue, tale Chriſto regi tuo impendere ſervitium, ut ſummam ejus gratiam merearis & principem apud eum locum obtineas.

Punctum III. Expende conditiones & pacta, quæ Chriſtus ſuis in hac bellica expeditione proponit. Deliberatum eſt mihi dicit Dominus, meos veſtroſque hoſtes carnem, mundum, diabolum, omnemque vitiorum exercitum oppugnare, iiſque devictis in Patris mei regnum & gloriam reverti. Quiſquis jam veſtrum eò mecum aſpirat, vivat, ut ego; patiatur, ut ego. Id unum à vobis poſco, quod à militibus ſuis Abimelech: Quod me videtis facere, citò facitè. Jud. 9. v. 47. Exemplum dedi vobis ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen, amen dico vobis, non eſt ſervus major

jor Domino suo Joan: 13. v. 15. Tuum igitur munus, & obligatio tua erit, ut Christum perfectè sequaris: in hac sequela sita est tua sanctitas & omnis perfectio: in hac amorem tuum erga DEUM præcipuè testaberis, tibique cor DEi vicissim devincies: similitudo enim est mater amoris At verò quâ ratione tu hactenus Christum secutus es, & te illi conformem facere studuisti? Christus ex corde humilis, tu superbus; Christus charitate plenus, tu invidiâ, &c. an non metuis, ne Rex tuus in morte tibi id exprobret, quod jam olim per Prophetam Isaiam elocutus est: In vacuum laboravi, pro te, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi Isa. 49. v. 4. Idcirco vide sis, ut ita vivas inposterum, ut possis dicere cum Paulo: Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Christus. Gal. 2. v. 20.

Punctum IV. Considera magnitudinem præmii, à Christo suis sectatoribus promissi. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus. Apoc. 3.v. 21 Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, ibi & minister meus erit. Joan: 2. v. 26. Terreni reges servorum suorum obsequia ditionis alicujus dominio, aut proregis officio compenseut, regiâ dignitate sibi reservatâ;

Chri-

Christus verò omnes servos suos reges facit; & quia infinitum est regnum illius, totum donare potest, & sibi totum retinere. O ingens cælestium horum regum felicitas, qui malorum immunes, passionum suarum domini, nulli peccato obnoxii, possident, quod desiderant, & per beatificam visionem fruuntur omnibus divinorum bonorum & attributorum thesauris! Prensarent mundi asseclæ infima quæque multorum annorum ministeria, si per ea scirent se posse ad regiam dignitatem emergere. Pari modo nullus tibi labor sit arduus, nulla videatur crux aspera, ut cœlo aliquando potiaris, audiasque tibi dicentem Christum: Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israël. Luc. 22. v. 28. Adhæc statuere te firmiter oportebit, sequi Christum, & ita ex corde DEum tuum affari: En ô Rex supreme ac Domine universorum, tuâ ego, licèt indignissimus, fretus tamen gratiâ & ope, me tibi penitus offero, meaque omnia tuæ subjicio voluntati, attestans coram infinitâ bonitate tuâ, nec non in conspectu gloriosæ Virginis Matris tuæ, totiusque curiæ cœlestis,

stis,

ftis, hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum, ut (dummodo in majorem laudis tuæ, & obsequii mei proventum cedat) quàm possit proximè te sequar & imiter, in ferendis injuriis & adversis omnibus, cum vera tum spiritus, tum etiam rerum paupertate. Si (inquam) sanctissimæ majestati tuæ placeat, ad tale me vitæ institutum eligere atque recipere.

MEDITATIO SECUNDA.

De Incarnatione Filii DEI.

PRæludium primum est: Proferre in medium (verba sunt S. P. Ignatii) contemplandæ rei historiam; quæ hoc loco erit: Quomodo personæ tres divinæ, universam terræ superficiem speculantes, hominibus refertam; qui ad infernum descendebant; in Deitatis suæ æternitate decernunt; ut secunda persona, pro salute humani generis naturam hominis assumat: Unde adveniente tempore præstituto, Archangelus Gabriel ad B. Virginem Mariam nuntius destinatur.

Secundum pertinet ad loci compositionem: quæ erit visio imaginaria, perinde ac si oculis pateret terræ universæ ambitus, quam habitant tot diversæ gentes: deinde ad certam mundi partem domuncula spectetur beatæ Virginis apud Nazareth in provincia Galileæ sita.

Terti-

Tertium continet gratiæ postulationem, ut intimè cognoscam, quo pacto DEi Filius mei causa sit homo factus, ut ardentiùs ipsum amem, & abhinc sequar studiosiùs.

Punctum I. Expende cujusque personæ in hoc mysterio occurrentis statum & cogitationes. Considera, quàm sint homines diversis moribus, quàm vario idiomate; albi alii, nigri alij, alii tristes, alii læti &c. Impii & idololatræ propè universi; ipsi adeò Judæi, populus electus omnis generis flagitiis obnoxii: Erat mundus tali beneficio prorsus indignus; nihilo tamen minùs cœlestis Pater tot animarum interitum miseratus cogitavit super nos cogitationes pacis, & non afflictionis. Jerem. 29. v. 11. Cogitavit & decrevit Unigenitum suum mundo redemptorem dare; unde S. Joannes admirabundus exclamat: Sic DEus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, Joan. 3. v. 26. Vide, an non & te tum, cùm ejus amore eras indignissimus, dilexerit? cùm ergo ille non Angelum, sed Filium mundo dederit, tu, quicquid es, & potes, ipsi redde. Offer perfectam mandatorum, votorum & propositorum observationem. Considera Archangelum Gabrielem, qui Fortitudo DEI interpretatur, disce in arduis pro honore DEI exequendis, & perfe-

rendis fortitudinem, firmamque in auxilium divinum fiduciam. Adverte denique ad Virginem, quæ erat immaculata, solitaria, taciturna, orationi dedita, Gratiâ plena. Has virtutes cole, si in corde tuo, & cordibus aliorum, operâ tuâ Christum gigni desideras.

Punctum II. Examina personæ cujuslibet sermones, & documenta spiritualia ex eis elice. Homines, qui tunc erant, convitiis, contumeliis, mendaciis, blasphemiis oblectabantur; quibus tu? an melioribus? Quid interim DEus? Pater ait; renovemus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Gen. 1. v. 26. Filius: Ecce venio; in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam DEus meus, volui & legem tuam in medio cordis mei. Ps. 39. v. 9. Spiritus S. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans; rursumque ædificabo te, & ædificaberis. Jerm. 31. v. 3. Tu sic amantes redama. Etiam Angeli cum beatissima Virgine colloquium perpende. Luc. 1. & præcipuè ultima virginis verba: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum: Imitare exactam obedientiam, demissionem animi, resignationem in beneplacitum DEI, seu acerba seu dulcia imperantis.

Pu n-

Punctum III. Discute cujusque personæ opera, & quid imitandum, quidve fugiendum selige. Rapiunt, surripiunt, trucidant homines, pleno impetu ruunt in perniciem. Appende in statera opera tua, & dubio procul invenieris minùs habens. Sanctissima Trinitas admirabile Incarnationis mysterium dat executioni; incarnatur æternum Verbum Filius Patris, fit homo in Virgineæ Matris utero, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo. Phi. 2. v. 7. DEus immensus, splendor æterni Patris, in angusto & tenebroso virgunculæ corpore coarctatur & occultatur. Quis renuat esse parvus in oculis suis, & recumbere in loco novissimo, cùm Altissimus, sit DEus absconditus? Angelus peractâ legatione, redit ad superos, expectaturus nova mandata: tu exantlatis laboribus, quietem ne quære; excipiat laborem labor, cùm pro DEo tuo laborandum est. Virgo Mater festinat per montana, ut Joannes à labe originis mundetur: tu, euntem, & in ea novum Regem, tum præcibus, tum aliis devotionis exercitiis prosequere; divinis inspirationibus illico morem gere: contemplationis dulcedinem lubens desere, cùm id salus proximi imperârit.

MEDITATIO TERTIA.

De Christo nascente.

PUnctum I. Tenerrima & sanctissima Virgo, etsi partui jam vicina, ut tamen Romani Cæsaris imperiis obsequatur, asperâ hyemis tempestate in Bethlehem suo cum Josepho proficiscitur. Sed aliò DEI, aliò Augusti spectant consilia: Augustus ambitione & pecuniæ cupiditate stimulatus, orbem describi jubet: Æterna autem DEi sapientia suorum memor decretorum, prænuntiata tanto antè tempore, de venturo in mundum Messia, & ex semine David in Bethlehem nascituro, vaticinia, jam exequi parat, simulq; jacere altissima in Christiana Religione humilitatis, obedientiæ, & paupertatis fundamenda. Quàm profundæ factæ sunt cogitationes DEI, & exaltatæ sunt viæ ejus, à viis hominum! Disce te totum Divinæ providentiæ transcribere nec enim diffiteri potes, quin DEUS tuus, benignissimum Patris, imò sanctissimum sponsi erga te animum hactenus induerit, talemque, per omnem vitam se tibi præstiterit.

Sub vesperum Divina puerpera frigore & pluviâ, suoque sanctissimo fatigata pondere, Bethlemum advenit sed hospitem, etsi per omnes urbis vicos & plateas sedulò quæ-

quærat, minimè invenit. Defeſſa itaque proximum lateri lapidem occupat: & interim Joſephus pro caſtiſſima conjuge ſollicitus, fores complures, jam has, jam illas pulſat, & hoſpitium rogat, ſed non erat ei locus in diverſorio. Ergo laborem omnem fruſtratus redit, & ita Virginem affatur: Dilecta ſponſa laborem hîc omnem & operam perdidimus; urbs nobis iterum relinquenda eſt, & adeundum eſt, quod foris prætériimus, ſtabulum, ut quod negant homines, pecora præbeant naſcituro Deo hoſpitium. Rex Regum, & Domine Dominantium! nullúſne tibi in primo mundi ingreſſu, diverſorioli angulus ſupererit? in propria venit, & ſui eum non receperunt. Joan. 1. v. 11. O ſaxea Bethlemitarum pectora; imò me potiùs omni ſaxo, omni ſilice duriorem! qui toties evaneſcens cor meum fluxis mundi illecebris, & inordinatis creaturarum amoribus patere feci: JEſum verò, DEum meum; impiè exceſſe volui, eique impudenter dicere ſum auſus: ſta foris. Mi JEſu, mi DEus, quàm me pudet hujus veſaniæ! En totum tibi ſaltem modò conſigno cor & amores meos.

Summâ animi æquitate hanc Bethlemitarum duritiem pertulit Virgo, & his dulciſſimum pro illis filiolum ſuum eſt depre-

cata: Dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt: Prompta & læta ingreditur ſtabulum, & illud ingreſſa, mox ſeſe ad orationem componit, igneſcit tota & pectore toto vultuque ſupra Seraphinos ardens, divinioribus cæli perfuſa deliciis, ad DEUM ſuſtollit ſe, caſtiſſimoque amoris amplexu aut jactu potiùs ad Dilectum, imò in Dilectum ſuum ſe ſe librat; & ecce tibi, dum quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cælo à regalibus ſedibus venit. Sap. 18. v. 15. Virgo doloris expers, ſalvo uteri virginalis clauſtro peperit ſuúm, & æterni Patris primogenitum. O quis hîc conceptu adæquaverit illa liqueſcentis animi gaudia, humillimam tam Deiparæ, quàm Joſephi adorationem, ſuaviſſima virgineæ Matris oſcula & amplexus, affectuoſam cordis gratitudinem, ſuique & omnium animæ corporiſque virium, delationem? Tu tua quoque obſequia exhibere ne negligas. Quæ obſequia? Orationem, ſilentium, laborem, abnegationem tui perfectam. Et quæ polliceris, ſtude exequi.

Punctum II. Sed & Divinum hunc infantem pannis involutum, & intra præſepis anguſtias reclinatum, attentiùs contemplare. Adverte amorem illius, obedientiam,

&

& paupertatem; primumque è ſtraminea præſepis cathedra docentis, lectionem excipe: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Matth. 11 v. 29. Pater æternus in ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum me genuit, at modò me Mater inter obſcuras noctis tenebras, in anguſto & vili ſtabulo enixa eſt: Ego, qui tribus digitis appendo molem terræ, hîc puer debilis manus pedeſque ligatus jaceo. Ego, cujus ſcabellum pedum in cælis Cherubini erant, & Seraphini, nunc in orbem ingrediens, locum noviſſimum & abjectiſſimum elegi. O ſuperbi filii Adam, diſcito à me, quia mitis ſum, & humilis corde. En mi JEſu in diſcipulum tuum tibi me dedo. Et quæ modò doces, diſcere & perdiſcere certum eſt; nec antè quieſcam, quàm humili, compoſitâ, & abſconditâ vivendi ratione lectionem hanc me penitus percepiſſe demonſtravero. Intolerabilis enim eſt impudentia, ut, ubi ſe exinanivit Majeſtas, vermiculus inſletur & intumeſcat. D. Bernardus.

Punctum III. Conſidera, quæ nato Regi obſequia impendant Angeli. Vix natum in ſtabulo viderant, cùm ſuum in humana carne DEum ac Dominum adoraturi properis alis præſepi advolârunt, & in unum deprecati ſunt, ſibi ut liceret nati jam Regis

gloriam mundo propalare. Hisce te Angelis associa, & JEsum omnibus, verbô & exemplô prædiçare stude.

Gabrièl Archangelus, recēns nati Regis legatus, magnâ stipatus Angelorum catervâ, ad iter se comparat. Lubet hîc festinos interpellare tantisper Genios. Quò tenditis Angeli? quam viam capessitis? Ad summum fortè Judæorum Sacerdotem? Ad Cæsarem Augustum? Ad Præsidem Cyrinum? Ad Scribas & Pharisæos Bethlemiticæ & Hierosolomytanæ urbis? Non vos istuc, nec ad illos: Illi enim, quia superbi sunt, avari, molles, pauperculum infantem spissas inter noctis tenebras, & ferociente hyeme nunquam inquirent. His itaque spretis, rectà cælestes genii ad pastores ovium se conferunt, quorum simplex humilitas & laboriosæ vigiliæ hanc sibi præ cæteris gratiam merebantur. Nunc agnosco verum esse, quod Salvator postea prædicaturus est: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Matth. 1. v. 25. Sic una humilitas, una simplicitas te omnino idoneum reddet, ut se totum tibi DEus effundat, & ad intimam familiaritatem suam admittat, teque instrumento utatur, ad honorem suum eximiè promovendum.

Jam

Jam verò quid hi cæleſtes choraulæ nobis occinunt? Gloria in altiſſimis DEo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Gloriam DEO debitam, DEo tribuunt; plenam cum DEo pacem & ſecum ipſis annuntiant hominibus, ſed bonæ voluntatis. Bonæ voluntatis eſt, qui ſuam abnegat, ut divinam induat voluntatem, bonam & beneplacentem & perfectam. Rom. 12. v. 3. In ejus animo pax jugis, & perenne gaudium eſt, qui ea vult ſemper, quæ vult DEus.

Punctum IV Paſtores nullis licèt coacti Angelorum imperiis, ſine mora tamen accingunt ſeſe, & ad ſtabulum feſtinant. Imperia non expectat ſincerus amor, ſed nativo & liberrimo fertur in dilectum amoris pondere. Si DEum, ſi te amas, negotia tuæ ſalutis magnâ cordis alacritate & ardore ſemper auſpicare. Si cecidiſti ſurge ocyùs: ſi adeſt exercendæ charitatis occaſio, eam velox arripe: ſi deeſt, eandem cum paſtoribus inquire, & inventam avidus fervenſque amplectere: ſubintrant enim in ſtabulum paſtores, & quem inveniunt puerum, illum ut DEum ſuum, ut Meſſiam expectatiſſimum proni adorant. O vivam firmamque fidem, quæ in parvulo iſto jam nato, debili & paupere infantulo, infinitas æternæ, & omnipotentis, ſummæque Majeſtatis divi-

tias reperit! O paſtores verè fideles, quos nec vulgata Judæorum, Meſſiam ſuum cum magna Majeſtate expectantium opinio nec ſtabuli ſordes, nec Matris Juvenculæ paupertas, nec parentis nutritii ſenectus, nec puerilis JEſuli infantia prohibuit, quò minùs certi de fide ſua, in genua procumberent, & DEUM ſuum munuſculis in puero venerarentur. Hæc te magnanimitas in vera fide & Divino ſervitio deceret.

LECTIO SACRA.

EX Thoma à Kempis lib. 1. & 8. c. 2. lib. c. 37. li. 3. ex Cibo Electo. 1. Inſtructio. par. 3. Ex libello Exercit. de tribus hominum claſſibus, ſeu differentiis.

DIES QUINTUS.

MEDITATIO PRIMA.

De circumciſione JEſuli, & adoratione trium Magorum.

PUnctum I. Conſidera excelſos animos virgineæ Matris, quæ vel ipſa filiolum ſuum circumcidit, vel certè D. Joſepho in hoc opere, operam ſuam commodavit. Erat illa non minùs animoſa quàm uxor Moyſis Sephora, quæ tulit acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui. Exod. 4. v. 25. Aut quàm illæ mulieres, in Machabæorum libris commendatæ, quæ circumcide-

cidebant filios suos, ideoque trucidabantur secundùm jussum regis Antiochi, 1. Mach. 1. v. 63. Peregit utique hoc opus cum intimo doloris sensu tenerrima & castissima Mater; nec dubium, quin oculis in cælum sublatis, mixtoque cum lachrymis suspirio, sic DEum affata sit: Sponsus sangvinum tu mihi es. Exo. 4. v. 25. Maluisset ipsa sangvinem suum fundere, quàm filii; nihilominus ex amore nostri, divinique beneplaciti reverentiâ, in dilectissimo sibi filiolo, mente manuque generosâ circumcisionem executa est. Ita & tu, etsi teipsum ames, tibi tamen parcere non debes, sed debes teipsum sacræ circumcisionis seu mortificationis cultrô perfectè & planè amputare. Circumcisio cordis, (inquit Paulus,) in spiritu, non litera, cujus laus non ex hominibus, sed ex DEo est. Rom. 2. v. 29. Sit autem circumcisio tua perfecta & universalis, & extendatur ad omnia, quæ in sensibus externis, affectibus internis, in animæ potentiis, in rerum conditarum amore, in bonis temporalibus, immoderata & inordinata sunt. Hoc Christus à te exigit: Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, & projice abs te. Matth. 18. v. 8. Sit insuper circumcisio constans & stabilis, non pauculorum dierum spatio definita, sed toti tuæ

vitæ commenſurata. Sinunt quidem inordinati affectus ſeſe ſupprimi, at raro opprimi, & funditùs evelli. Vinea, niſi quotannis amputentur palmites, ſilveſcit, & uvarum inops, vites & palmites malè luxuriantes alit. Denique hanc circumciſionem ſpiritus, non modò tu ipſe tibi adhibe, ſed eam quoque ab aliis circa te uſurpari, libenter patere; à tuis videlicet Superioribus, animæque tuæ curatoribus, qui nôrunt optimè, quænam in te ſuperflua cultrô indigeant. Neque id tibi difficile accidet, ſi seriò perpendas hujus circumciſionis neceſſitatem, quæ ubi negligitur, effrenes paſſiones, ſenſim ſinè ſenſu cum æterni exitii periculo in te propullulant. Bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Matt. 18. v. 8. Inferni timor & DEi amor ſint gladii ſpiritûs, & cultri ſacri, queis ſpiritualiter circumcidaris.

Punctum II. Imitare præclariſſimas virtutes, queis tibi ſanctiſſimus divinuſque Infans in hoc myſterio præluxit. Prima eſt humilitas, in qua continuò hic Parvulus altiùs aſcendit, quia ſe continuò demiſit profundiùs. In nativitate formam ſervi, in circumciſione ſpeciem peccatoris induit: erat enim circumciſio cauterium peccatoris, & homi-

hominis in originali peccato concepti, velut ſtigma & nota. Quid tu ad hæc? Tu è diametro huic humilitati repugnas. Videri vis pius & ſanctus, cùm ſis flagitioſus & impius, & nævis plurimis ſcateas; gloriaris de rebus nihili, aut iis, quas à DEo accepiſti quaſi non acceperis.

Altera virtus eſt obedientia, quâ legi circumciſionis promptè & exactè paruit, à qua tamen ſe poterat juſtiſſimis de cauſis eximere; quin quòd velut ſupremus, innocens, neque ulli peccato obnoxius Legislator, ejuſmodi legi ne ſubjacebat quidem; oſtendit nempe jam opere, quod poſtmodum dicturus erat ore: Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem; aut prophetas, non veni ſolvere, ſed adimplere; Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Matth. 5 v. 17. Tu verò undequaque quæris effugia, per quæ ab obſervatione mandatorum Eccleſiæ, tuarum regularum, tuique ordinis diurni te eximas, & tamen pendet inde profectus tuus in ſpiritu, & magnum gratiæ, gloriæque augmentum.

Tertia virtus, eſt plena dilectionis patientia, & plena patientiæ dilectio, quâ Chriſtus ſangvinem ſuum pro nobis cum

tanto doloris ſenſu profudit. Infantes alii cultrum non priùs ſentiunt, quàm cuti admoveatur, eamque penetret; Chriſtus verò jam tum materno in utero, doloris acerbitatem, & ſaxei cultri ſciſſuram præſenſit, neque tamen tenellulam carnem vulneri ſubtraxit, ſed infractô illud & lætô animô excepit; ſimilem quidem vocem aliis infantibus emiſit plorans; at cum gaudio ſangvinem matutini ſacrificii mundo effudit, paratus omnem in veſpertino crucis ſacrificio nobis impendere. O JESU, exoſculor humillimè ſanctos illos paniculos, quos defluus tuus ſangvis irrigavit; apprimo illos tenerrimè cordi meo. Hæc cruenta tua linteola mihi animos & robur in quavis ad verſitate ſuggerent: quin & paratus ſum vitam & ſangvinem, quidquid ſum & poſſum, tibi totum refundere.

Punctum III. Tres reges ex oriente, ſtellâ duce veniunt Hieroſolymam nulloque habito Herodis reſpectu, animosè interrogant: Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum Matth. 2. v. 2. Atque acceptô à Scribis, & Legis Doctoribus reſponsô, in Bethlehem Judæ, eò confeſtim ſe conferunt, ibidemque recens natum Infantulum munerum ſuorum & obſequiorum delatione venerantur. Admirare hîc mutationem dexteræ Excelſi.

Judæi,

Judæi, gens electa, quibus erat Messias promissus, tanto tempore ab iis desideratus, tam vicini Bethlemico tugurio, locum nativitatis tribus Magis commonstrant, & nemo unicus ex iis, aut ex Herodis metu, aut ex ei placendi & adulandi studio, vel pedem effert è limine ad cœlestem hunc regem quærendum. Contrà verò tres Magi, viri gentiles, partim stellâ duce, partim Balaami vaticinio exciti, domos, uxores, liberos & ditiones suas promptè deserunt, & crudâ hyeme iter longum spatiô, gelû molestum incœptant, paraguntque: intrepidè de novo rege in aula Herodis percontantur, licèt Herodis ambitio & crudelitas iis esset satis perspecta; nec antè quiescunt, quàm Rege cunctis gentibus desiderato frui liceat Ita nempe verum est, quod postmodum Christus edixit: Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cœlorum; filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores, Matth. 8. v. 11. Idcircò in servitio divino tu fervens esto, & Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Apoc. 3. v. 11. ne fortè in locum proditoris Judæ, Mathias; & in locum reprobati Saulis, David novus eligatur. Sequere magnâ mentis promptitudine stellam fidei, piarum inspira-

ratio-

rationum, rectæ rationis, & ſpiritualis directionis tuorum Superiorum: Noli declinare, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, nullamque moleſtiam à carne aut dæmone objiciendam formida. Noli dicere cum pigro: Leo eſt in via, & leæna in itineribus Proverb. 26. v. 13. Perrumpendum eſt; aliàs, qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix Jobi. 6. v. 16.

Punctum IV. Ingredere cum tribus Magis ſtabulum Bethlemiticum, puerumque cum Matre (JEſus enim & Maria ſeparari non ſuſtinent,) feliciter inveni. Agnoſce mundi pompam à cœleſti rege concculcari: vivâ fide crede, hunc infantulum eſſe in ſua paupertate ditiſſimum, in ſua depreſſione maximum, in infantili geſtu, & habitu, æterni Patris Verbum.

Procide in genua, & Infantem pannis involutum, DEUM, inquam tuum ac Dominum adora, apertiſque cordis tui theſauris offer illi charitatis aurum; illius, inquam, charitatis, quæ omnia opera tua inauret, ſi quidem nihil operis te par eſt, aggredi, quod non purè in DEum tendat: quæ ignis examen ſuſtineat, & tuam probet in omnia adverſitatem conſtantiâ: quæ laborioſa ſit & nunquam quieta; ſemper operans, adinſtar lucroſæ pecuniæ, quæ deponi otioſa non ſolet

let, ſed de manu in manum cum fructu & fœnore transferri.

Offer præterea parvulo thus orationis, cui ferventer inſiſte, & manè & veſperi, omniqúe loco & tempore, uti Chriſtus imperat: Oportet ſemper orare, & non deficere Luc. 18. v. 1. Ut inter media negotia, & alloquia hominum, cor tuum, non minùs quàm in ipſâ meditatione ſit DEO conjunctum.

Offer denique myrrham mortificationis, proprii judicii, voluntatis propriæ, exteriorum ſenſuum, interiorum affectuum. Multi orationem amant, at mortificationem oderunt, qui tamen ſeipſos falſâ ſanctitatis ſpecie deludunt. Anima, quam bonus afflat, & ducit ſpiritus, ita affecta eſt, ut erat ſponſa in Canticis, de qua dicitur: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii. Cant. 3. v. 6. In quo corde thus & myrrha permiſcentur, in eo fragrant omnium virtutum aromata.

MEDITATIO SECUNDA.

De præſentatione Chriſti in templo.

PUnctum I. Beatiſſima Virgo DEipara, quadraginta dies in ſtabulo Bethlemitico, maternis erga parvulum ſuum officiis exigit, tantô animi ſui ſolatiô ac guſtu, ut

rerum

rerum mundanarum omnium prorſus oblita, quadraginta hos dies, pro uno duxerit. Tantæ ſunt in ſancta ſolitudine deliciæ, tanta ſuavitas in DEi conſortio: & tu noxiis inquietorum hominum, & peccatorum familiaritatibus abriperis? Quadraginta his diebus exactis, proficiſcitur Hieroſolymam Virgo Mater, & pro filio ſuo offert par columbarum, ſtatutum pauperculis munus, ac Sacerdotis preces pro ſui emundatione depoſcit. O Virgo amantiſſima, nónne tu es mundi totius advocata? nónne tu illa es, de qua Sponſus: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te Cant. 4. v. 7. pura opere, pura ſermone pura cogitatione? Purificationis legi minimè ſubjecta? Mulier (inquit legislator) ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit ſeptem diebus. At verò tu peperiſti non è virili ſemine, ſed virginitate illæsâ, & Spiritu ſancto obumbrata. Ut quid ergo Sacerdotum prece, quid purificatione tibi eſt opus? Verè ô beata Virgo (rectè inquit Bernardus) verè non habes cauſam, nec tibi opus eſt purificatione, ſed nunquid filio tuo opus erat circumciſione? Eſto inter mulieres tanquam una earum, nam & filius tuus ſic eſt in numero peccatorum. Serm. 3. de purif. Age mi Chriſtiane, ob ſuperbiam tuam ad tale exemplum

emplum erubeſce. Cordis puritatem ama. peccâſti lethaliter? tempeſtivè & ſolicitè pœnitentiam age. Juſtus es? juſtificeris adhuc & quidquid intrà & extrà te minus eſt ordinatum, depone & eradica.

Punctum II. Attende & auſculta, quo pacto in hac ſui oblatione, Patrem ſuum cæleſtem Filius alloquatur: Supreme & æterne Pater, reſpice in faciem unigeniti Filii tui, hîc modò in ara tua præſentis, quem in ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genuiſti, Ecce ego, ejuſdem tecum naturæ & ſubſtantiæ, qui non rapinam arbitratus ſum, eſſe me æqualem tibi, ex ſolo tuo arbitrio, puroque in genus humanum amore, factus ſum homo, me totum in hoſtiam tibi offero. Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi: Ecce venio. Pſ. 39 v. 7. Ecce venio, mi Pater, ut humiliem memetipſum, fiamque obediens, uſque ad mortem, mortem autem crucis. Eſtne cor ullum tam ferreum & ſaxeum, quod iſte ſermo tenelli infantuli non prorſus emolliat? nónne id omnino eſt æquitati, & rationi conſentaneum, ut & tu ex reciproco in JEſum amore corpus & animam eidem offeras, ac penitus conſecres, & quemcunque laborem, paupertatem,

con-

contemptum, desolationes, morbos, de manu ipsius admittas, dicasque cum regio Psalmista: Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum. Ps. 56. v. 8.

Punctum III. Contemplare, quàm festinus properet ad templum Senex Simeon; ut morti proximus, vitæ occurrat; quo effectu in genua coram matre supplicabundus procumbat; quomodo in ulnas suas è maternis amplexibus JEsulum excipiat. O quali gaudio cor intus ebullit! quàm suaves lacrymæ certatim per seniles genas decurrunt! quàm humili osculo manibus, & pedibus divini pusionis os apprimit! quàm reverenter in puero DEUM ac Dominum suum adorat! Contra verò quàm amabiliter ocellulos suos in optimum senem parvulus defigit? quàm suavi obtutu cor ejus vulnerat, tantâque solatii affluentiâ animam ejus liquefacit, ut vitam pariter & mundum pertæsus, exclamet: Nunc dimittis servum tuum, secundùm veebum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum. Luc. 2. v. 29. En vitam jam teneo, ac proinde nullam mortem formido: viam regiam amplector hanc ego tutus ingrediar: nulla me pugna, nulla dæmonis tentatio exterret, cùm mihi præstò sit pax vera, & certa victoria; neque multò pòst, ut testatur Nicephorus

phorus lib. 1. cap. 12. cum summo animi solatio pius senex è vita decessit. Obtinuit beatam hanc mortem Simeon, quia in vita sua justus erat & timoratus, & DEI mandata religiosissimè observabat. Siquidem qui timet Dominum, nihil negligit. Eccl. 7. v. 19. & exspectans consolationem Israël, orabat continuò non pro sua tantùm, sed & totius humani generis salute, & Spiritus sanctus erat in eo, velut in consveto suo dignoque se habitaculo. Felicem quoque & tranquillam mortem si tu expectes declina à malo, & fac bonum.

Punctum IV. E tot mulierum millibus, tum Hierosolymis, tum alibi degentibus, unica Anna eligitur, quæ Spiritu sancto inspirante, Christum agnoscat, & de illo vaticinetur. Meruit hoc ipsa eximiâ vitæ integritate & sanctimoniâ. Erat vidua usque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die. Erat hoc sanè facinus heroicum, quòd fœmina juvencula præter Judæorum morem, in flore ætatis, viduitatem amplecteretur, carnalibusque desideriis omnibus renuncians, corpus jejuniis, & assiduâ prece in annum usque octogesimum quartum attereret. O quàm præclarum est, non fluctuare instar arundi-

nis

nis; ſed ſtare inſtar petræ immobilem! nullis neque adverſis, neque proſperis, à propoſito divelli, cum tot Martyrum millibus carni reſiſtere uſque ad ſangvinem, imò uſque ad mortem!

MEDITATIO TERTIA.

De infanticidio, fugâ Chriſti in Ægyptum, & ejuſdem in patriam reditu.

PUnctum I. Herodes videns, quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde. Matt, 2. v. 16. ideoque communicato cum ſuis conſilio, decernit regem in ipſis adeo cunis extingvere; & ne quis detur elabendi locus, omnes totius regni infantes à bimatu & infrà, ad necem deſtinat. Ad quàm immane facinus impellit Herodem ambitio, & inordinata mentis affectio! Præclarè D. Ambroſius: Magnam faciunt tempeſtatem multitudines cupiditatum, quæ veluti in freto corporis navigantem, hinc atque inde perturbant. In Apologet. David. c. 3.

Quis pravos & effrænes animi effectus non domet, ſi tanti ex iis in corde motus & ſcelera enaſcantur? Accedit, quòd ipſi & aulæ proceres, & Sacerdotum principes, & legis periti, ut regi impio impiè gratificentur truculentum hoc & barbarum necis decretum comprobârint, ipſo Evangeliſta teſtante: Herodes rex turbatus eſt, & omnis Hiero-

Hierosolyma cum illo. Matt. 2. v 3. Et iterum: Defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. Matt. 2. v. 20 Tantum ponderis apud subditos habet Regis exemplum. Ubi pervênit verbum Jonæ ad Regem Ninive: surrexit de solio suo & abjecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Jonæ 3. v. 6. nec mora: præeuntem regem subditi seqvuntur. Balthasar vasa templi Hierosolymitani aurea & argentea temulentus inter epulas sacrilegâ manu, & ore, profanavit: & ecce factum regis, regni primores imitantur, ait enim Scriptura: Biberunt in eis Rex, & Optimates ejus. Dan. 5. v. 3. Nabuchodonosor, quò subjectos sibi populos ad statuæ suæ adorationem inducat: Congregat. Satrapas, Magistratus & Judices, duces & tyrannos & præfectos, omnesque principes regionum. Dan. 3. v. 2. non ignarus, horum exempla ad seducendum populum esse potentissima. Vide proinde, quisquis cum potestate aliqua praees aliis, ut dignam ducas munere tuo vitam, id est, irreprehensibilem: nihil perniciosius est Præsidum delectis, quæ delinquentem & subditos pari ruinâ involvunt.

Punctum II. Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph: dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum

gyptum, & esto ibi, usque dum dicam tibi, Matt. 2 v. 13. Mandatum hoc denuntiatur Josepho, vel ex Jerusalem, in Nazareth redeunti; ut meditatur D. Bonaventura, lib. de vit. Christi, ca. 12. vel certè primâ aut secundâ nocte à reditu in Nazareth. Mandatô acceptô, Joseph consurgens accepit puerum, & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum. Matt. 2, v. 14. nec verbulò sese excusat; sed festinat ad cubiculum sponsæ, ferit ostium, & dilectam vel castè suaviterque dormientem, vel piè vigilantem reperit, & verba Angeli enarrat: surgit illa confestim, & nocte mediâ excitat è somno parvulum, intempestivo sanè tempore, non sinè parvuli lachrymis, queis suas jungit mater, in unum rivulum confluxuras. Recurrit illi prædictus à Simeone gladius, & hunc primum illius ictum esse arbitratur; nihilominus verbis hisce, Ecce ancila Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum, cum intimo sensu prolatis, se ad iter accingit. Quid agis tenerrima virguncula? erítne ergo tua quindecim annorum ætas par istis viæ incommodis? Inter Ægyptum & Nazarethum non minus sanè, quàm centum leucæ interjacent, & hoc tantum iter tu sub noctem mediam inire paras? saltem in crastinum profectionem differ; nam nox itineranti-

bus

bus non molesta solùm, sed valde etiam periculosa & inimica est. Quid de hac fuga dicent populares tui, qui heri te reducem salutârunt, & proximâ statim nocte insalutatis omnibus mirantur discedere? quis erit desertæ domunculæ custos? cui pauperculam suppellectilem servandam committes? Cogita quò pergas: ad homines nempe barbaros & inhumanos. Si filius tuus in propria venit, & sui eum non receperunt, quid facient extranei? si apud amicos & notos non invênit locum in diversorio, sed pro hospitio stabulum, pro lecto præsepe, quid ab ignotis, iisque idololatris expectabit? Refellit hæc omnia promptissima Virgo hâc unâ voce: Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum. Eadem mens inerat divino pusioni: & licèt ex nutu ipsius mors & vita Herodis penderet, parentes tamen, motu interno ad fugam in Ægyptum compellit. Ergo tam promptè Christus paret Angelo, & Angelorum Regina Josepho, & tu Superiori tuo subditus parere cum omni subjectione recusas? Disce judicium & voluntatem subjicere in mandatis, quantumvis arduis: disce Christum ardentissimè redamare, qui illud in Ægypto exilium elegit, quò majorem haberet pro te patiendi materiam. Disce animarum zelum, cùm Christus ad-

huc Infans ad ſe gentes vocet, impleatque illud Iſaiæ vaticinium: Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulacra Ægypti à facie ejus. Iſa. 9. v. 1.

Punctum III. Chriſto fugâ ſubducto, ſangvinarium ſuum decretum Herodes exequitur; nam mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus à bimatu & infrà Matth. 2. v. 16. Inaudita à condito mundo tyrannis! Tyranni cæteri, in adultos ſeviêre, quorum cædes interdum involvit parvulos: at crudelitas Herodis, ſatiari non poteſt niſi ſolorum infantium ſangvine, à quibus nihil omnino damni vel acceperat, vel timere poterat. Verùm Divina providentia ex hoc nefario facinore ingens bonum elicit. Herodis furor DEo officina fuit, in qua coronas Martyribus parvulis fabricaretur. Felices ſanè parvuli, qui, quod lingvâ non poterant, profuſione ſangvinis Chriſtum confitentur. Primus illorum ex utero egreſſus, ad perennem felicitatem ingreſſus fuit: rapiuntur à milite ex matrum gremiis, & ab Angelis deportantur in ſinum Abrahæ. Sine certamine & pugna, victoriam, & cum victoria incorruptam beatitudinis coronam accipiunt. 1. Cor. 9. v. 25. Ipſi nunc annuis

in

in mundo honoribus, & in cœlo gaudiis lætantur ſempiternis cùm Herodes contrà æterno apud homines dedecore, & perenni apud inferos ſupplicio torqueatur. Sic omnipotens DEI ſapientia & bonitas, colligit de ſpinis uvas, de tribulis ficus. Matt: 7 v. 6. & ex ore rugientis leonis favum mellis educit. In afflictionibus projice cogitatum tuum in Dominum, & triſtium rerum, lætos eventus experiêre; cùm D. Paulus affirmet: Quòd diligentibus DEum, omnia cooperentur in bonum. Rom. 8. v. 28.

Punctum IV. Annis ſeptem & octō in Ægypto tranſactis, Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem ejus, & vade in terram Iſràël. Matth. 2. v. 21. Nobis prima ætas ſolet eſſe lætiſſima; ſed Chriſto triſtiſſima fuit, & una continua crux; teſtatur id incòmmoditas & aſperitas in nativitate; dolores acutiſſimi in circumciſione; fuga ob Herodis perſecutionem; egeſtas ſumma in educatione, mœror ex dilectæ matris frequenti afflictione; luctus ex idololatria Ægyptiorum, quæ quotidie ante oculos obverſabatur; laborioſiſſimus ex Ægypto in patriam reditus, quem vix octennis ſuſcepit, & pedes bacillulo nixus confecit. Quot incommoda tenello via-

tori & puero in hoc itinere ſuſtinenda fuère? Attigerat jam fines terræ Iſràél, & cogitabat regiâ viâ per Judæam in Nazareth pergere, cùm ecce ob metum Archelai pro patre imperantis via difficilis erat circumlegenda. Quid multa? Parvulus JEſus miſeriarum & calamitatum ubique ſcopus eſt. Unde & tibi dictum puta illud Jobi: Militia eſt vita hominis ſuper terram. Job. 7. v. 1. Et illud Pauli: Omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto JEſu, perſecutionem patientur. 2. Tim. 3. v. 12

LECTIO SACRA.

EX Thoma de Kempis cap. 23. & 32. lib. 3. Ex Cibo Electo 2. Inſtructio. par. 2. Ex libello Exercit. de tribus gradibus humilitatis. pag. 104.

DIES SEXTUS.

MEDITATIO PRIMA.

De vita Chriſti ſolitaria ad annum uſque trigeſimum ætatis ſuæ.

PUnctum I. Conſidera primam hujus diuturnæ ſolitudinis cauſam. Triginta omnino annos inſumpſit Chriſtus computandis, expendendiſque iis, quæ ſibi aliquando paſſionis ſuæ, & prædicationis tempore eventura prævidebat. Docet te, nihil ex ſubito animi impetu inchoandum, ſed conſideratè & maturè præmeditanda eſſe

omnia

omnia. Expectat Christus in trigesimum ætatis annum, officio prædicandi magis idoneum; expectat usque dum excreverit Præcursor suus, & populo adventum Messiæ annuntiârit. Melius est enim alienô quàm propriô testimoniô clarescere. In morem peccatoris baptizari se voluit, quoniam omnis bonæ actionis fundamentum novit esse oportere humilitatem. Adit eremum, & quadraginta dies jejunando, orando, vigilandoque traducit; quia omne bonum desursum est, descendens à Patre luminum, & è cælo petenda sunt omnis boni operis auspicia; redit subinde ad matrem suam; privatus agit ad trigesimum usquè expletum annum; & tunc denique sextâ Januarii fecit initium signorum JEsus in Cana Galileæ, & manifestavit gloriam suam. Joan. 2. v. 11. Quousque dissimulas, (interrogat D. Bernardus) quasi infirmus aliquis vel insipiens lates in populo, qui virtus es, & sapientia DEI? serm. 1. de Epiph. Christus à primo conceptionis suæ momento noverat, quid agendum sibi vel omittendum, quid tacendum aut loquendum, quid eventurum esset. Te unum hæc spectat solitudo, tuoque exemplo deservit, ut in actionibus tuis discas, non esse præceps, neque judicii tui prodigus. Præmeditare operis circumstantias,

tempus, locum, perſonas, ſcopum, & finem; num honori divino ac ſaluti tuæ, quod facturus es, congruat. Propterea & in conſulta negotiorum tractatio, multis pœnitudinem attulit, at ſeram nimis. Quocirca filium ſuum Salomonem monet David è lectulo mortis ſuæ, ut intelligas univerſa, quæ facis, & quocunque te verteris. 3. Reg. 2. v. 3. Et Propheta Jeremias hortatur ſingulos: State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris. Jere. 6. v. 16.

Punctum II. Chriſtus triginta annos ſibi privatus vixit, & ſolùm tres erudiendis impendit hominibus, ut tu illius exemplô doctus, proximi quidem ſalutem, ſed magis tuam cures. Sapientia Chriſti & ſanctitas, quæ jam tum in prima conceptione ſumma, augeri in ſe & creſcere non poterat; creviſſe tamen, & auctior facta eſſe dicitur, quia utriuſque, tam ſapientiæ, quàm virtutis majora indies documenta dabat. Tu autem homo es imperfectus, & in utroque genere augmenti capax, ideoque uti in horas ſingulas ætate, ſic creſcere te par eſſet imprimis in ſapientia, non eâ, quæ mundi, ſed quæ DEI eſt. Diſce noſſe te ipſum; diſce, quæ fides proponit, quæ ratio ſtatûs & offi-

cii

cii tui á te poſtulat; quàm pulcher, quàm benignus & juſtus ſit DEUS, uti ipſe per Prophetam hortatur: In hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus, qui faciam miſericordiam & Judicium & juſtitiam in terra, hæc enim placent mihi, ait Dominus. Jerem. 9. v. 24. Hîc tu inveſtiga, quo pacto hucuſque te in meditationibus; in aliis exercitiis ſpiritualibus, in aſſidua collectione animi tui, & præſentiæ divinæ memoriâ exercueris: quæ ad proficiendum in cæleſti ſapientia, efficaciſſima ſunt media.

Progrediendum tibi ulteriùs eſt, non in una ſapientia, ſed in virtute etiam, in gratia, in obſervatione omnium mandatorum DEI, in laudabili atque exemplari converſatione cum hominibus. Certè S. Paulus, quanquam in tertium cælum raptus fuerit, & plùs cæteris Apoſtolis laborârit, & paſſus ſit, fatetur tamen ipſe de ſe: Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe: unum autem, quæ quidem retrò ſunt, obliviſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens me ipſum, ad deſtinatum proſequor, ad bravium ſupernæ vocationis DEI, in Chriſto JEſu, Phili. 3. v. 13. Multò tibi adhuc labore & conatu opus eſt, priuſquam impleas illud Chriſti: Eſtote perfecti, ſicut Pa-

ter vester cœlestis perfectus est. Matt. 5. v. 48. Forsan à primo fervore spiritûs defecisti, & more cancrorum cessisti retrò?

Punctum III. Christus triginta annorum spatio nullum patravit, præter humilitatis, miraculum; unâ quidem vice in Templo plenis prudentiâ (quæ humanâ major erat) quæstionibus, sapientiam suam prodidit reliquo verò tempore occultavit omnia, ac præter sanctissimam Virginem Matrem suam, D. Josephum, & Præcursorem Joannem conditionis suæ conscium habuit neminem. In Academia Hierosolymitana nunquam Divinis literis operam dedit, nec earum interpretes frequens audiit. Ad templum & synagogam adiit sæpiùs, ibidemque aliorum more orationes suas exsolvit, adque ita domum reversus est. Unde & cùm officium prædicandi orsus esset, dicebant homines: Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit? Joan. 7. v. 15. Imò consangvinei ejus, exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam in furorem versus est. Mar. 3. v. 21. Quàm longè adhuc tu abes ab hoc humili silentio & suppressione tui ipsius, rerumque tuarum? quàm te pungit, cùm propter doctrinam tuam, aliaque dona, pro voto tuo non æstimaris? quàm lubricus & facilis es in eloquendis iis, quæ vanæ tuæ glo-

gloriæ serviunt? & tamen silet Christus, quanquam plenus sapientiâ, gratiâ & virtute, quanquam omnibus Doctoribus major, pro beneplacito suo parare prodigia posset, & divinitatem suam mundo manifestare, silet, inquam, & ipsos triginta annos humilis, ac privatus publicô abstinet. O humilitas virtus Christi (pulchrè inquit mellifluus Doctor) quantùm confundis superbiam nostræ vanitatis! parum aliquid scio, vel magis aliquid scire mihi videor, & jam silere non possum, impudenter me aut imprudenter ingerens aut ostentans promptus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum, Serm. 1. de Epiph. Istud emenda.

Præterea, quoniam in hac paupercula domo, nec servus erat, nec famula, ipse DEUS Optimus Maximus abjectissimis fungitur officiis; everrit domum; colligit sollicitè segmenta; comportat ligna; atque ut habeant, unde in diem vivant, in fabricando Nutritium adjuvat, id quod postmodum convicia suorum concivium probant; Nonne hic est faber, filius MARIÆ? Mar. 6. v. 3. Quid, amabo, cogitârunt Angeli, cùm cernerent in asseribus dolandis, & secandis lignis laboriosè occupatum cùm, qui aliàs verbô unicô cælum & ter-

ram fundavit? cùm cernerent per plateas paratos labores ſuiſmet deferentem humeris ad eos dominos, qui id operis conſtituerant? à quibus etiam velut gregarius quiſpiam opifex tractatus eſt & habitus? haud dubiè Angeli tantô attoniti ſpectaculô, exclamârunt: Verè tu es DEus abſconditus, DEus Iſráël Salvator. Iſaiæ 45. v. 15. Quod officium, quod munus tibi, ô homo, humile erit ac vile, cùm ſe DEus ſic humiliârit, imò exinanîerit?

Punctum IV. Chriſtus in vita ſua privata non ſolùm profundiſſimam te docet humilitatem, ſed perfectiſſimam quoque obedientiam. De ipſo enim ſcriptum eſt: Et erat ſubditus illis. Conſidera exactè, quale fuerit in ſupremo Principe obtemperandi ſtudium. Pondera circumſtantias. Quis enim erat ſubditus? Infinitus, & immenſus DEus: Cui? pauperi fabro: qua in re? in ſervilibus laboribus; quo pacto? cum fervore & gaudio cordis ſui; quoniam tam abjectum & vile nihil eſt, cui pondus ſuum & pretium non det obedientia: ob quam cauſam? ut tu diſceres obedire DEo, Superioribus, & moderatoribus conſcientiæ & animæ tuæ. His omnem prorſus ſubjice & intellectum & voluntatem, partim, quia DEus propter te ſe ſubdit homini; partim,

quia obedientia talis est virtus, secùndum verba sancti Gregorii, quæ cæteras virttes animo inserit, in eoque custodit. O superbi ac refractarii filii Adam, quàm confusionem sustinebitis olim, quando Christus supremus Judex exprobraturus est, quòd lectionem obedientiæ nolueritis addiscere, quàm triginta annorum curriculô tot manifestis exercitiis exemplisque gravissimis inculcare studuit?

MEDITATIO SECUNDA.

De duobus vexillis Luciferi & Christi Domini.

PUnctum I. Dux stygius Lucifer in throno fumoso & igneo ad Babylonem considet, quæ vox confusionem significat; quòd in impio pectore nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitet. Est illi facies tam fœda, ut hominem intuitu vel uno possit perimere; potentia tanta, ut non sit super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret. Job. 41. v. 24. quique vel viros sanctissimos non timet aggredi: tanta peritia, quantam necesse est, ex continuis tot annorum (jam propè sexies mille fluxerunt) fraudibus & technis existere; tam capitale ejus in homines odium, ut tanquam leo rugiens circumeat, quærens quem devoret. 1. Pet. 5. v. 8. Quemadmodum

enim leo, ovem integram, cum carne ſimul & oſſa & pellem devorat: tartareus hoſtis cum anima corpus deglutire geſtit, & æternô exitiô involvere. Quis tam crudeli Domino famulari, quis in talis tyranni ſervitutem ultrò ſe velit conjicere? præcipuè ſi famulaturo ſibi iſtiuſmodi conditiones præſcribat: DEum nega conditorem tuum in JEſum ſervatorem tuum eſto perfidus, & eo deſerto, per difficiles peccatorum vias me ſequere: Ego breviculæ voluptatis guſtum momentaneum polliceor; at, dum vita hæc tibi conſtat, continuis conſcientiæ fluctibus agitabere; & nulla erit animo pax: dum autem durat æternitas, ſuppliciis torquebere mecum immaniſſimis; temporarium honorem curabo; ſed qui in ſempiternam infamiam deſinat: hîc affluent divitiæ ad annos pauculos; in æternitate verò penuriam extremam, & egeſtatem petieris, O inſaniam! velle dæmoni pro tali mercede ſervire! Pereunt certiſſimò, & æternùm pereunt, quotquot illi ſe mancipant. Quare reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis. Jac. 4. v.7.

Punctum II. Lucifer ſocios ſuos frequenti numero per orbem univerſum ablegat cum his mandatis, nulli ut tempori, loco, perſonæque parcant; ſed omnes, & omnia tentent. Aggrediuntur ergo illi in campo

campo militem, in choro monachum, in ſylva eremitam, ad aram Sacerdotem, in paradiſo Evam, idque noctu, diuque. Nullum eſt opus tam ſanctum, cui ſe dœmon non immiſcere ſtudeat. Plenus eſt laqueis mundus; Quoniam omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Joan. 2. v. 16. Primum & Palmarium id agit hoſtis, ut opum cupiditatem in homine accendat, & per eam ſibi ad omne flagitium viam paret Ex opum cupiditate naſcitur ira, fraus perjurium, injuſtitia, inquietudo mentis, duritia in pauperes, ariditas in oratione. Ex opibus congeſtis oritur ſuperbia, è ſuperbia hypocriſis, ambitio, aliorum contemptus, invidia, triſtitia de ſecundis proximi ſucceſſibus, judicii proprii tenacitas, pertinacia, & inobedientia. Denique ex opum cumulo gulæ ſeqvuntur illecebræ, convivia creba & immoderata, & ex his, turpiſſima ruina, in carnis vitia, quæ plerumque occultæ ſuperbiæ ſunt pœna. Vis laqueos hos omnes effugere? ſobrius eſto, & vigila, & dole, quòd hactenus tam parum tibi caveris; ſecurim ad radicem admove, & JEſu pauperis exemplô, proſcribe ex animo omnem inordinatam ad temporalia propenſionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas. 1. Tim. 6. v. 10.

Pun-

Punctum III. Ad urbem Solymam, quæ visio est pacis, consistit JEsus, cùm ille sequacibus perfectam animi pacem impertiatur. Consistit autem in lato & patenti campo, quem undique solares radii illustrant, quòd animus servorum DEI semper serenus sit, & latè se instar arenæ maris expandat: consistit loco humili, ut facilem ad se aditum, & familiarem cuivis accessum præbeat. Moribus tam est amabilis, vultu & formâ tam est speciosus, ut siderum splendorem, florum decorem, creaturarum omnium suavitatem longissimè excedat; ut de eo jure optimo Sponsa prædicet: Ecce tu pulcher es, Dilecte mi, & decorus. Cant. 1. v. 16 Quis tali Domino non adhærescat?

Perpende deinde mellitissima illa verba quibus quemlibet ad se vocat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite jugum meum super vos; & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, & onus meum leve, Matt. 11. v. 28. Ego mi homo, te condidi: Ego tuo servitio orbem universum, & ipsos adeo Angelos, spiritus nobilissimos tibi famulos addixi: cum Tu captivus esses, & mancipium dœmonis: Ego sangvinis vitæque meæ pretiô te redemi:

Ego

Ego tibi corpus meum in cibum dedi, & beatæ Æternitatis pignus. Pro his omnibus hoc unum reposco, ut tu viam mandatorum meorum ambules, & demum mecum regnes in perpetuum. Quî igitur fieri potest, ut me deseras? Me amicum tuum optimum? & dœmonis hostis tui infensissimi servitium toleres? Hoccine est datam mihi in baptissimo fidem servare? Fecit sanè perfidia tua, ut summo à me jure rejiciendus esses. At revertere mi homo, revertere Sunamitis, revertere. Cant. 6 v. 12. nam omnis qui venit ad me, non ejiciam eum foras Joan. 6 v. 17.

Punctum IV. Quid jam agendum sit illi, qui militare sub crucis vexillo constituit, Christus his verbis declarat: Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Luc. 9. v. 23 ante omnia necesse est, ut abneget immoderata bonorum temporalium desideria, & ita uno ictu omnium malorum radicem excindat. Paupertatis amator castus est, & sobrius; ad gulam enim & carnis delicias pecuniæ impendio est opus, idem ille tranquillô est animô, cùm spinis divitiarum minimè pungitur: plenus divinæ fiduciæ, cùm terrena deficiunt: liberalis & profusus in dando & accommodando, cùm

paupe-

pauperum egestas, & templorum nitor id exigit; DEo suo inexistens & innixus, cùm adversâ fortunâ impetitur; lætus ac hilaris, cùm famem, sitim, penuriamque paupertatis comites experitur; amans contemptus & sorte suâ quantumvis abjectâ contentus, cùm pecuniam spontè abdicârit, quæ ad honores viam munire solet; tolerans æquô animô, quidquid injuriarum accedit; & multò adhuc æquiore animo, dum erratorum suorum pœnas & objurgationes ferre cogitur. Familiare illi est symbolum, & usitata tessera: Tacere & latere. Hæc sui ipsius abnegatio, jugum quidem est, sed suave, onus, sed leve. Audendum. Inevitabilis est mortificationis hujus necessitas. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam, & qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet eam. Luc. 9. v. 24. Quid damnatæ apud inferos animæ deplorant? Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuncius præcurrens. Sap. 5. v. 8. Elige jam, quod decretorio judicii die electum voles. Abstine, & abnega temetipsum: sustine, & tolle crucem; Age & sequere præeuntem JEsum: In his tribus universa pendet Evangelii doctrina.

MEDI-

MEDITATIO TERTIA.

De vita Christi tempore prædicationis.

PUnctum I. Ecquænam erat hæc vita? 1. Modestissima. Amavit esse contubernalis pauperum, servus convixit discipulis. Quidquid gloriosum, tam fugit, ut & miracula, cùm posset, occuleret, proprii nominis osor, paterni zelator.

2. Pauperrima, quippe eleemosynis sustentata. Ego autem mendicus sum & pauper. Ps. 39. v. 18 humus illi fuit pro lecto, vestitus vilis, domus nulla propria, id quod de se testatur ipse: Vulpes foveas habent & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. Luc. 9. v. 59.

3. Obedientissima Magistratibus civilibus: Reddite, inquiebat, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEI, DEO. Matt. 22. v. 21. & æterno Patri suo; cujus nomini & gloriæ devotum voluit, quidquid ageret, loqueretur, cogitaret; Ego, quæ placita sunt ei, facio semper. Joan. 8. v. 29.

4. Tota immaculata, tota exemplaris: Nullus in eo peccati fomes. Intellectum aspectus divini vultus, voluntatem amor usquequaque perfectus in Patre semper defigebat. In verbis nihil non maturum; in colloquiis cum sequiore sexu exacta circumspectio; vultum temperabat pudor, ge-

stum

ſtum modeſtia, menſam frugalitas. Inſpice, ô Chriſtiana anima, & fac ſecundùm exemplar. Exodi 25. v. 40.

Punctum II. Quæ doctrina illius, quæ prædicatio? 1. Operoſa planè, & difficultatibus plena. Incurrere quidem in illam poterant moleſtiæ quotidianæ; frigora, æſtus, fames, ſitis, laſſitudo, at impedire non poterant; quò minùs oppida, pagos, vaſtaſque regiones, & ſolitudines amore tui etiam nudipes emetiretur. Tanti videlicet DEo fuit tua ſalus; quid tu laboris, quid tu moleſtiæ pro illius nomine ſubis viciſſim?

2. Univerſalis, & nulli non proficua. Peccatores ſeu deerrantes oviculas ad deſertum ovile invitabat per pœnitentiam: juſtos ad juſtitiam pleniorem Hos ipſe erudiebat: Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Matt. 6. v. 48. ita omnibus fiebat omnia. Utere tu zelo pari; & holocauſtum reddidiſti, quo nullum Divinæ Majeſtati gratius

3. Sublimis, præſtans, admirabilis. Illius ex ore & ſenſu, beati ſunt pauperes, manſveti, afflicti, pacifici; beati, quos cùm variæ exercent perſecutiones & inimicitiæ, inimicis tamen, perſecutoribus ſuis bene precantur, & faciunt. Chriſtiani nominis cenſeri vis? juxta hanc normam exige mores & vitam.

4. Dedi-

4. Dedita orationi, & contemplationi assiduæ: dies prædicando, & noctes orando impendit. Quid? quod mediis in laboribus conquieverit in Patre, illique contemplatione mentem, & amore nunquam remisso voluntatem conjunxerit. Oppone huic evagationem animi tui, etiam orationis tempore.

5. Testata innummeris miraculis. Liberavit obsessos dœmonibus, restituit viribus ægrotos, cibavit esurientes, mortuos revocavit in vitam corporis & animæ, uti Lazarum, Matthæum, Magdalenam, in cæteris. Pertransiit, inquit sacer Historicus, benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo. Act 10. v. 38. Hinc tu collige, quid sit facere misericordiam, lauda, ama, munificentissimum JESUM, pari quoque in te sæpiùs bonitate usum, dum te toties & toties à morte animæ tuæ suscitavit.

Punctum III. Quid passus est Christus triennii hujus decursu? Quàm alacriter, quàm penè sine sensu versatus inter impolitos & incultos discipulorum mores? Atque ita exemplô suó eam patientiæ normam præivit, quam postea inculcavit Apostolus: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi, Gal. 6. v. 2.

Punctum IV. Quæ jam ab hostibus suis, quas

quas contumelias, convicia, iniqua judicia à Pharisæis & Scribis pertulit? Non est hic homo à DEO, qui sabbathum non custodit, Joan. 9. v. 16. Hic si Propheta esset sciret utique quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum Luc. 7. v. 39. Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Matt. 11. v. 19. Quid hic sic loquitur? blasphemat. Matt. 2 v. 7. In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia Luc. 11. v. 1. Nónne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Joan. 8. v. 48. Hæccíne sunt nomina, & honorum tituli, quibus insons, & altissimus DEi filius est insigniendus? Neque verò inter convivia & opprobria stetit Pharisæorum furor & livor: jam enim lapidibus, jam præcipitiò, ab illis fuit ad necem quæsitus. Subinde tentârunt illum capere in sermone, atque ex responsis occasionem elicere, ut illum in manus sæcularis magistratûs, tanquam mortis reum traderent. Quis tandem fuit in his omnibus ferendis Christus? quæ contrà movit arma? mansvetudinem constantem, comitatem singularem, amorem incredibilem, doctrinam indefessam, manum in beneficia & miracula profusiorem. O longanimitas verè divina! imò cùm Samaritani mœnibus illum suis probrosè exclu-

clusissent, in eosque discipuli flammas meditarentur, Domine, vis, dicimus, ut ignis de cœlo descendat, & consumat illos, ipse conversus increpavit illos, dicens, nescitis cujus spiritûs estis. Luc. 9. v. 54. 55. Investiga in mores tuos, & disquire tecum, cujus tu sis spiritûs; an illius, qui juxta Christi exemplum mansuetudinem, an, qui juxta mundi principia vindictam spirat: & tamen quis tu? quid pateris? sexcentis meritus es nominibus, quæcunque pateris.

LECTIO SACRA.

EX Thoma de Kemp. 25. 26. & 27. cap. lib. 3. Ex Cibo Electo 4. Inst. parte 3. Ex libello Exercit. regulæ electionis pag. 106.

MONITA PRO BINIS VLTIMIS DIEBVS.

FInis horum dierum est, perfecta unio hominis per amorem cum DEo; ad hanc necessariam est primò, ut omni prorsus affectu inordinato erga te ipsum omniaque hujus mundi bona te exuas, id quod perfectissimè te docet Christi morientis, patientisque exemplum, de quo ita Apostolus: Exinanivit semetipsum. Phil. 2. Deinde, ut cœlestem aliquem & divinum agendi modum tu induas, quod clarissimè ex secuturis meditationibus elucet.

Materia examinis particularis sunt affectus amoris divini, & conformitatis volun-

tatis

tatis noſtræ cum DEO. Exempli causâ: Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi JEſum Chriſtum, & hunc Crucifixum 1. Cor. 2 v. 2. DEus meus & omnia. Volo te amare ex toto corde mi DEus. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Sive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.

DIES SEPTIMUS.

Meditatio prima.

De Exinanitione Filii DEi in paſſione ſua & morte.

PUnctum I. Amoris divini tantò cor evadit capaciùs, quantò diligentiùs ab iis, quæ mundi ſunt fuerit depuratum. Hæc cauſa eſt, cur Chriſtus per omnem vitam; præcipuè paſſionis tempore, exempla complura perfectæ abnegationis ſui ipſius, & admirandæ exinanitionis præbuerit. In paſſione ſua exinanivit ſemetipſum facultatibus, & fortunæ bonis omnibus. Nudus enim ab amicis, qui cum aliquâ poteſtate eſſent; raptusque circum tribunalia, qui pro innocentia ſua interpoſuiſſet vel verbum, non habuit. Petrus illum negavit, Judas prodidit, diſcipuli ad unum fugerunt omnes. Sola quidem Mater fida ſtetit, at ſola nihil juvit; cumulare poterat filii dolorem dolor maternus; levare non poterat. Qui ſolus levare poterat, Pater æternus erat, at pater-

paternam & ipſe manum ſubduxit: uti illa ad Patrem patientis Filii querela teſtatur; DEus, DEus meus, ut quid dereliquiſti me.

Nudus fuit DEi unigenitus ab omnibus divitiis & bonis temporalibus. Cùm moriturus teſtamentum conderet, nec aſſis illi unicus erat, multò minùs prædia & latifundia, quæ viduæ & egenæ matri legaret. Nihil illi tum erat reliqvum; niſi anima ejus ſummè deſolata, & orba mater, & detractæ veſtium laciniæ: Animam ſive ſpiritum Patri, Joanni Matrem donavit, veſtes ut ſpolium miles invaſit.

Nudus fuit ab omni ſolatio & auxilio, quod aut moribundus deſideret, aut exſpectet æger. Lectus, illi crux; corona ſpinea, pro culcitra, ſindon, inundans cruor, potus, acetô fel mixtum; Phariſæorum blaſphemæ calumniæ, opportuna amicorum ſolatia.

Nudus fuit in & poſt mortem; nudus pependit è patibulo: nudus expirat, qui cœlum ſtellis diſtinxit, terram veſtivit floribus, beſtias omnes lanâ, pilis, pennis, & ſquamis obtexit. Demum ad nuditatis ſummam, poſt mortem ſuam; in alienum illatus eſt ſepulchrum favore miſerantis diſcipuli. O nuditatem! O exinanitionem præpotentis DEI! Verè de illo vaticinatus eſt Jobus: Nudus

dus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Job. 1. v. 21 Et Jeremias Inebriaberis atque nudaberis. Thren: 4. v. 21. Audi, quid hinc te doceat Hieronymus: JEsus nudus, nudos quærit amicos. Id quod ipse Christus Bernardinum docuit de vitæ statu perplexum, quando eundem coram Crucifixi sui prostratum imagine, in hæc verba aflatus est: Fili mi, tu me vides hîc nudum, & clavis affixum cruci, si me diligis, hîc quæres & invenies: sed tu nudus sis, & crucifixus, ut ego sum, sic me faciliùs invenies.

Punctum II. Exinanivit se Christus bono suo nomine & famâ. Princeps pacis, qui summis ima, & terram cœlo reconciliavit, homo vocatur seditiosus & turbulentus: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari. Luc. 23. v. 2 Qui omnibus fecit bene, accusatur ut maleficus: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Joan 18. v. 30. Volunt hac contestatione, tam luculenta & manifesta esse traducti JEsu flagitia ut ne quidem examen mereantur. Qui mundo pereunti Salvator, contenebrato lux, perverso magister à Patre datus est audit à perfidis: Recordati sumus, quia seductor ille, &c. Matth, 27. v. 63. Sapientia æterni Patris

Patris illuditur velut amens & fatuus: Auctor vitæ, qui viribus ægros, in vitam mortuos restituit, Barabbæ latroni sceleratissimo non solùm confertur, sed & postponitur. Summus benefactor & munificentissimus Dominus à populo suo dilecto & electo ad necem postulatur. Vox una est omnium: Crucifige, crucifige eum. Unde in ejus persona Vates Regius querebatur: Posuerunt adversum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Ps. 108 v. 5. DEus, DEus, inquam, supremus ille Princeps, illa Angelicis tremenda potestatibus Majestas! Dominus exercituum! alapis cæditur, & pugnis, in faciem, in quam desiderant Angeli prospicere! evelluntur barba & crines satellitum ungvibus; à Caipha condemnatur ut blasphemus; à militibus coronatur spinis, & exsibilatur ut Rex personatus; à Pharisæis etiam in cruce pendens & doloribus obrutus (vel tum certè compassionem merebatur) subsannatur ut impostor, & falsus Messias; demum moritur in patibulo inter latrones medius, ut eorum dux & antesignanus. Huic despecto & novissimo virorum nihil ego aliud subscripsero; quàm illud Pauli: Exinanivit semetipsum. Hanc tantam, tam probrosam sui exinanitionem passus est DEi Filius sinè querela, sinè excu-

 satio-

ſatione, cum ſumma cordis ſui manſuetudine & gaudio. Si enim unigenitus DEi filius contumelias & opprobria in ſe ipſo, & ſuo nomine dedicavit; ſi iſta, ut media humano generi redimendo elegit; & quaſi gradus & adminicula conſtituit, queis ad immortalem gloriam eniteremur, quis pati, quis contemni, & confundi recuſabit? Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ & virtutis DEi, & qui eſt ejus ſpiritus, ſuper vos requieſcet. 1. Pet. 4. v. 13. 14.

Punctum III. Exinanivit ſe Chriſtus omni gaudio & voluptate. Aſpicientes, inquit Paulus, in auctorem fidei, & conſummatorem JEſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem. Heb. 12. v. 2. Vidimus eum, inquit Iſaias, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum: deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem. Iſa. 53. v. 2. 3. A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas, vulnus & livor & plaga tumens: non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Iſa. cap. 1. v. 6. Anima Chriſti triſtis fuit uſque ad mortem; corpus adeò flagris conciſum

ſum, ut caro fruſtatim ab oſſibus lacera penderet: caput, ipſumque adeo cerebrum ſpinis perfoſſum: aceto & felle potata lingva manus & pedes, in quibus ex nervorum concurſu ſenſus doloris eſt acutior, trabalibus clavis transfixi. Hinc lamenta illa: O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus; quoniam videmiavit me, ut locutus eſt Dominus, in die iræ furoris ſui Thre. 1. v. 12. Hæc expende, neque jam carnem ſequêris ampliùs, carníſve fomenta, momentaneas mundi voluptates; ſed eas potiùs à te in perpetuum abdicabis. Quis flente JEſu ridere; quis eo dolente & patiente gaudere & deliciari velit?

Punctum IV. Uti cor patientis JEſu exinanitum fuit amore mundi & vanitatum ejus, ita exundavit amore in nos & Patrem ſuum. Amor fuit, qui faciem ejus ſolo affixit in horto: amor erga nos foras elicuit ſudorem ſangvineum: amor funes injecit & vincula: amor fuit, qui os Salvatoris inclinavit ad oſculum proditoris: qui perfidiæ gratiam juſſit facere neganti diſcipulo; qui compulit intervenire JESUM voce exanimi pro inimicis apud Patrem: Amor JEſum alligavit columnæ, expedivit lora, cecîdit virgis, coronavit ſpinis: Amor, unus,

inquam, amor JEſum in crucem ſuſtulit, & in cruce mortem pretioſiſſimam & atrociſſimam pro impiis, pro ipſis etiam hoſtibus ſuis obire coëgit. Illud eſt, quod bene ponderat Apoſtolus: Vix enim pro juſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem ſuam DEus in nobis quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, CHRISTUS pro nobis mortuus eſt. Rom. 5. v. 7. 8. Hinc D. Bernardi querela juſtiſſima: O indurati Filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens amoris ardor!

MEDITATIO SECUNDA.

De Reſurrectione Chriſti.

PUnctum I. Reſurgit Chriſtus è ſepulchro totus glorioſus. Cùm dies tertia illuceſceret, dies optatiſſima, dies jam à quater mille annis ab orbe toto expectata; horâ à morte Chriſti quadrageſimâ, victorioſa ejus Anima è limbo ſeſe effert, tam nobili ſtipata comitatu, ut parem Imperatorum nullus in pompam eduxerit. Circumſiſtebat cæleſtis hæc turba Domini ſepulchrum, & malè affectum corpus admirabunda contemplabatur; ajebat inſuper gratias immenſo amori, & profuſæ liberalitati Redemptoris ſui, qui redemptionis opus tantô laboris & ærumnarum impendiô conſummaſſet

mâſſet, cui vel unica Divini ſangvinis ſtilla fuiſſet ſatis. Et ecce momento eodem, corpori ſacratiſſimo Divina ſe unit Anima, livorem omnem & cicatrices abſtergit, & glorioſus Salvator, immoto ſepulchri lapide, infracto ſignaculo, plenus decore & majeſtate è ſepulchro progreditur. Omnes Angeli, ex æterni Patris imperio ſe è cælo dimittunt. Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli DEi. Hebr. 1, v. 6. Canunt alternis choris Angeli, & Juſtorum animæ, magno Triumphatori in Iſráël: Dominus regnavit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe. Pſa. 92. v. 1. Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, eqvum & aſcenſorem dejecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem, iſte DEus meus, & glorificabo eum; DEus patris mei, & exaltabo eum. Dominus quaſi vir pugnator, Omnipotens nomen ejus. Currus Pharaonis, & exercitum ejus projecit in mare: electi principes ejus ſubmerſi ſunt in mari rubro. Exod. 15. v. 1. Conjunge cum his gratulantis affectum, & dic ex animo: Ave millies, ſalve millies divine Phœnix! quàm ſpecioſus è mortalitatis tuæ cineribus renaſceris! Salve

Sol justitiæ, quàm serenus è nubibus passionis tuæ exoreris! Salve potentissime triumphator, sub cujus pedibus peccatum, Dæmon, & mors jam devicta gemit! Salve amantissime Salvator, qui tam copiosum pro me redimendo lytrum exolvisti! O amabilissime sponse sangvinum, quis tibi cor suum totum non donet! O utinam, utinam totus te mundus agnosceret, amaret, coleret!

Punctum II. Gloriosa Christi vita perfectum est spiritualis vitæ exemplar, juxta Pauli doctrinam: Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Roma. 6. v. 4. Sicut ergo oportuit primùm Christum mori, & ita intrare in gloriam suam. Luc. 24. v. 28. ita pariter nemo unicus secundùm spiritum victurus est antè, quàm omnibus iis sit mortuus, quæ mundus amat, & sensualitas amplectitur. Quapropter opus est, te omnia membra corporis, externos sensus, cor, phantasiam, appetitum, animæ potentias, ita moderari, ut nunquam quidquam admittas, quod culpabile sit, & reprehensionem mereatur. Noli in intellectu locum dare ullis mundi regulis, politicisque mundanæ sapientiæ principiis; in voluntate ulli cupiditati, quæ non rectà in DEum tendat: noli præcipiti aliquo impetu abripi ad

ad ea, quæ speciem etiam boni præ se ferunt. Ede, bibe, dormi, quia necessitas, & quia DEi voluntas id exigit: Ita vive, ut omnis tua actio & operatio non ex naturali quadam propensione, sed ex gratia, & spiritu DEi procedat Oportet instar cadaveris te esse coram mundo, ut possis dicere cum Apostolo: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Gal. 6. v. 14

Punctum. III Scientes, quòd Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem vivit, vivit DEo. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem DEo, in Christo JESU Domino nostro. Rom. 6. v. 9. Hanc ob causam Christus in Resurrectione sua, linteamina, quibus fuit involutus, in sepulchro reliquit, neque surrexit, ut Lazarus, qui è sepulchro prodiit ligatus manus & pedes institis. Joan. 11. v. 44. iterumque est mortuus; ut tu nempe vitam tuam spiritualem, sine ulla in priores noxas recidiva, in te ipso conserves. Abjice prorsus à te omnem feralem vitæ prioris amictum, cujusmodi sunt noxiæ consuetudines, suspectæ familiaritates. verbo, malæ omnes omnis mali occasiones. Nazaræis non solùm interdictum erat, ut

vinum ne biberent, sed ne quidem quicquid de uva exprimitur, imò ne uvas recentes, siccásque commederent, aut quicquid ex vinea esse potest ab uva passa usque ad acinum Num. 6. v. 4. Noli peccare post veniam, monet D. Chrysostomus, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam. Cogita graviorem culpam esse post veniam, renovatum vulnus pejus dolere post curam, molestiùs hominem sordidari post gratiam. Servô pejor est qui patronum post datam libertatem offendit.

Punctum IV. Expende quatuor dotes gloriæ, quibus gloriosum Christi corpus dotavit Divinitas nempe claritatem, immortalitatem, seu impassibilitatem, agilitatem & subtilitatem. Gratulare Servatori tuo, istum sacrati corporis decorem: gratias age æterno Patri, quòd filii sui luctum in gaudium converterit; & quandoquidem Christi corpus eò gloriosius nunc est, quò plura in mortali hac vita pertulit, ideo & tu corpus tuum ad multas ærumnas offer, & varios labores amore Christi ferendos. Præcipuè verò da operam, ut & hæ quatuor gloriosæ dotes, in vita tua spirituali effulgeant: ut reperiatur in animo tuo dos claritatis, per quam veritates fidei, Deíque voluntatem semper agnoscas; itemque aliis exem-

exemplari vitâ præluceas; dos impaſſibilitatis, quæ te in adverſis & proſperis, in lætis & triſtibus quodammodo ſinè ſenſu efficiat; dos agilitatis, quæ te promptum reddat & alacrem ad omnem DEI nutum & voluntatem explendam; dos denique ſubtilitatis, vi cujus omnia divini ſervitii impedimenta, ac præſertim reſpectus humanos ſummè noxios, generoſè peſſundes, & prorſus extermines.

MEDITATIO TERTIA.

De Chriſto Aſcendente

PUnctum I. Conſidera, quo pacto Chriſtus congregatis in Solymæo cœnaculo diſcipulis die Aſcenſionis apparuerit, eoſdem admonens: Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto. Luc. 24. v. 49. ſcilicet ſolitudo ea eſt, quæ hominem ad cæleſtia dona, virtutemque Spiritûs ſancti copiosè accipiendam, reddit idoneum. Conſidera, quomodo diſcipulos ſuos in Bethaniam, hoc eſt, in domum obedientiæ, ad montem Oliveti eduxerit, eo loco daturus initium gloriæ, in quo paſſionem ſuam auſpicatus fuerat. Conſidera, ut in monte Oliveti dulciſſimæ Matri ſuæ, & omnibus ibidem præſentibus, vulnera ſua ſuaviſſimè exoſculanda indulſerit, ut iiſdem benedixerit; ut ſenſim ſe è terra elevans, & nobiliſſi-

mâ hominum, Angelorumque coronâ circumdatus, in cælum ingressus sit; ut illum æternus Pater exceperit, atque ad dexteram suam in throno collocârit; ubi Regis, Judicis, & Advocati officium agat. Considera demum voces, queis totus triumphantis Ecclesiæ exercitus Regi suo gloriæ accinuit: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem: & divinitatem & sapientiam, & fortitudinem & honorem, & gloriam & benedictionem. Apoc. 5. v. 12. Gratulare cum illis Salvatori tuo, offer debita illi obsequia, & ita porrò vive, ne vulnera pro te Christus æterno Patri frustra exhibeat.

Punctum II. Quam Christus semel obtinuit potestatem & gloriam, hac nunquam excidit, sed æternùm eam retinet. Hinc rectè S. Paulus: Thronus tuus, DEus, in sæculum sæculi. Heb. 1. v. '. JEsus Christus heri & hodie, & in sæcula. Hebr. 13. v. 8. Est itaque regnum Christi æternum, vita immortalis, status immutabilis: pari quoque ratione & tu, siquidem sequi velis Apostoli consilium: Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. 1. Cor. 15. v. 49. debes te ipse, non quidem emissô votô, verùm inconcusso aliquo proposito, in tali vitæ genere ac statu collocare, & tam firmiter ad sanctam aliquam perfectamque

ctamque vitam obſtringere, ut avelli ab ea nunquam ſuſtineas ſed quaſi impotens ab ea recedere, cum Joſepho caſtiſſimo illo Juvene proteſteris: Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in DEum meum? Gen. 39. v. 9 Armandus proinde eſt animus contra reſpectus omnes humanos, amorem proprium, timorem difficultatem, noxiarum familiaritatum uſum, contra omnes propoſiti convellendi occaſiones, non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed finis, inquit optimè S. Hieronymus. Quiſquis conformari glorioſo JESU deſiderat, ſit immutabilis; neque duntaxat in hac octiduana recollectione, ſed & ad ultimum uſque vitæ ſpiritum ſanctè vivat, neceſſe eſt.

Punctum III. Quâ viâ Chriſtus cœlum conſcendit? Certè non aliâ, quàm paſſionis, laboris, & demiſſiſſimæ humilitatis. Ità ipſe fatetur: Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Luc. 24. v. 26. Et de ipſo Paulus: Humiliavit ſe metipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis propter quod & DEus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen. Phil. 2. v. 8. Quem locum ponderans D. Anſelmus, ita loquitur: Ipſe ſe tantùm humiliavit, ut ultrà non poſſet; propter quod & DEUS tantùm

exaltavit, ut ultrà non posset, non enim major humiliatio, vel major exaltatio fieri potest. Cuicunque ergo placet Christi ascendentis triumphus & gloria, huic pariter placeant patientis certamina; neque enim aliâ itur ad cœlum viâ. Adversa omnia non patienti tantùm, verùm & læto animo excipe, quali ea excepêre sancti Martyres & Apostoli, de quibus Lucas testatur: Ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Act. 5. v. 41.

Punctum IV. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt, viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Act. 1. v. 10. Quid statis attoniti? quid decussatis in pectore manibus, cœlum suspicitis? mementote, animarum pastores vos esse constitutos: revertimini, & Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Certum est, divinas revelationes, cælestia solatia, & animi illustrationes, donari nobis, non nostrî modò gratiâ, sed & aliorum; ut nempe per hæc, tanquam media, ad agnitionem & amorem Divinæ Bonitatis plurimos adducamus. Nempe dictum est nobis: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure

audi-

auditis, prædicate super tecta. Matt 10 v. 27. Ad rem & pulchrè D. Petrus Chrysologus: Ut enim infantis regii nutrices, delicatis cibis pascuntur, ut purissimum lactis fontem alumnis suis propinent: sic supremus ille Rex, verbi sui ministros, licèt immeritos, propter filiorum suorum alimoniam, cœlestis suæ mensæ cibis pascit & nutrit, quò delicatiùs illos lactare & pascere valeant. Gratias DEo age, quòd ad Apostolicum te munus vocaverit, operamque tuam ad animarum lucrum per varios labores & molestias quærendum, ex animo offer. Verissimum enim est, quod scribit S. Thomas: Sicut majus est illuminare, quàm lucere solùm, ita majus est, contemplata aliis tradere, quàm solùm contemplari ...., Sic ergo summum gradum in religionibus tenent quæ ordinantur ad docendum & prædicandum, quæ & propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum 2. 2. q. 188. a. 6. Et alibi: Et si detrimentum aliquod in dulcedine contemplationis patiuntur (animarum zelatores propter exteriorem occupationem quâ proximis serviunt, hoc ipsum perfectionem divinæ dilectionis attestatur: Magis enim aliquem amare convincitur, qui propter ejus amorem, jucunditate præsentiæ ejus ad tempus carere desiderat in ejus

ſervitiis occupatus, quàm ſi ejus præſentiâ ſemper frui vellet. Opuſc. 18. de perfect. vitæ ſpirit. c. 18.

LECTIO SACRA.

EX Thoma de Kemp. cap. 53. & 55. lib. 3. Ex Cibo Electo Inſtruct. 7. & 9. part 3. Ex libello Exercit regulæ ad ſpirituum diſcretionem conducentes. pag. 196.

DIES OCTAVUS.

MEDITATIO PRIMA.

De Amore Dei.

PUnctum I. Amor ille, quo nos homines Divina bonitas complectitur, & ſtimulus, & idea eſſe debet reciproci amoris noſtri, pro eo ac divus Joannes docet: Nos ergo diligamus DEum, quoniam DEus prior dilexit nos. 1. Joan. 5. v. 19. Jam verò quantus eſt liberaliſſimus ille DEi in te amor? quanta beneficia, quæ in te contulit? Ille te creavit; & ſuis animam potentiis, ſuis quoque membris ac ſenſibus externis inſtructum corpus; tot inſuper creaturas, & neceſſitati tuæ, & oblectationi ſervituras, tibi donavit; ille te redemit, amore tui homo factus: cùm namque DEus naturâ ſuâ puriſſimus ſit ſpiritus, & corporeum ſub aſpectum minimè cadat, quò ſuum pectoribus noſtris amorem imprimeret ſvaviùs altiuſque, carnem noſtræ ſimilem induere, & oculis

ſeſe noſtris, ſpectabilem exhibere non formidavit; omnibuſque & verbô & exempló facem præferens ſollicitus ad cœlum dux fuit: Ille denique amariſſimam & probroſiſſimam pro humano genere redimendo mortem oppetiit: Hîc tu expende, quis ſit, qui paſſus eſt? DEus ſcilicet, Majeſtas illa infinita: pro quibus? pro nobis, qui per peccatum filii iræ eramus, & inimici DEi: quid autem? in corpore carnificinam immaniſſimam; in nominis exiſtimatione ſummam infamiam; in anima morientium angores; in bonis fortunæ, extremam nuditatem, & ultimam inopiam; quomodo autem iſta paſſus eſt? Cum deſiderio ardentiſſimo plura & majora pro nobis patiendi; hinc vel ipſa è cruce pendens ingeminare auditus eſt: Sitio, ſitio, inquam, tormenta plura & graviora, quæ pro hominibus mihi dilectis feram: O charitatem, quam nulla ærumnarum & dolorum flumina obruent!

Ulteriùs expendè beneficia particularia, à DEo tibi præſtita, cujuſmodi ſunt, quòd Catholicis natus parentibus, in fide orthodoxa, ac timore Domini enutritus ad religioſam familiam adlectus, tam paternâ curâ per omnem vitam, ſeu corpus, ſeu animam ſpectes, á Divina bonitate protectus ſis, & id genus alia innumera, quibus attentè

tè conſideratis, in has cum Davide voces ardenter prorumpe: Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Pſ. 115. v. 12. Totum te, memoriam, intellectum, voluntatem, libertatem, famam valetudinem, &c. in perfectum DEO holocauſtum conſecra, ejuſque ſanctiſſimæ voluntati ex integro committe. Atque uti honeſti & ingenui homines res commodato acceptas, verecundiùs uſurpant, & tractant cautiùs, parem & tu in modum corpore tuo & animâ ex Divinæ voluntatis beneplacito, ut re, non tuâ, ſed DEi ſanctè verecundéque utaris.

Punctum II. Qui amant invicem ſemper mutuò conjungi impensè expetunt. Sic DEus rebus ſuis creatis intimè præſens, in omnibus per eſſentiam eſt; at in homine Chriſtiano & baptizato peculiare ſibi templum delegit, in quo etiam per gratiam inhabitet, teſte divo Paulo: Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. 1. Cor. 3. v. 17. Atque uti Divinæ bonitati eſt impoſſibile, ut vel ad momentum unicum ſuos ab homine oculos abſtineat, ita par quoque eſſet, ut & tu viciſſim Divinæ ejus præſentiæ ſemper memor, cum nullibi non obſervares, nil loquerêre, nil ageres, nil cogitares, quod mundiſſimos ejus oculos offenderet.

Eſto

Esto itaque tu supremi Principis non subditus tantummodo, sed etiam aulicus, qui præterquam, quòd sua regi obsequia indefessus præstet, regii quoque vultus aspectu continuo gaudet. Pactum ini cum DEO, quale ipse à Catharina Senensi virgine exegit: Filia, tu semper cogita de me, sicut & ego semper cogitabo de te.

Punctum III. DEus ita suis creaturis adest, ut in momenta singula laboret, & operetur in singulis: in igne calorem, qui te foveat & cibos excoquat: in aqua humorem, qui tibi munditiem, potumque præbeat; in Sole lumen, quod te collustret; in terra soliditatem, quæ te sufferat; in potu, ciboque reficiendi ac nutriendi vires. Nulla est in plantis, plantarumque foliis venula, cui suum DEus succum non suppeditet; nullus in arboribus flos aut fructus, quem ipse progerminare non faciat. Dies noctesque laborat indefessus, nec quidquam deesse patitur, quod creaturarum etiam minima abjectissimaque ut sit, & bene sit, à DEO Conditore suo exigit. Et in hoc omni labore suo manet DEus sibi similis, in se uno quietus, ac infinitè beatus. Vis simili timore DEum complecti? Nullus igitur sit labor, nulla molestia, quam pro dilecto formides: non tibi sufficiat, contestari amorem tuum verbis

verbis, & calentibus animi affectiunculis, quæ cassæ sunt, & illusioni obnoxiæ, ... opus succedaneum, & se dignum traha... Nòsti quid se amanti DEus imperet: Si diligitis me, mandata mea servate. Joan. 14. v. 15. Verus & genuinus amor flamma est, sacrumque incendium, quod laboribus & ærumnis, ut affuso oleo nutritur & augescit. Verus amor in corporis cruciatibus & morbis æquanimitatem, in tentationibus robur invictum, in desolatione excitatam animi magnitudinem in defectibus proximi commiserationem, in ærumnarum & negotiorum turbis mentem quietam, & DEo innixam alere & conservare studet; eodem & secundam & adversam fortunam vultu excipiens, cum ardente Paulo succlamat: Quis ergo nos separabit à charitate Christi: tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate DEi, quæ est in Christo JEsu Domino nostro. Rom. 8. v. 35. Hæc demum est germana amoris in Deum indoles.

Punctum IV. Amat DEus creaturas suas; at

at in illis nihil aliud amat, quàm ſeipſum, & honorem ſuum: quia in iis reperit aliquid eſſentiæ ſuæ, omnipotentiæ, ſapientiæ, bonitatiſque: ſic & tu DEum in rebus creatis, & has in Deo, & unicè propter DEUM amabis. Sive ergo manducatis, ſive bibitis, monet Apoſtolus, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEi facite. 1. Cor. 10. v. 3. Quodſi diligis creaturas, quia bonæ ſunt, quantò magis tibi DEus diligendus eſt ſuper omnia, qui eſt Optimus, Maximus. Sunt in Deo perfectiones infinitæ, profuſiſſima miſericordia, exactiſſima juſtitia, defæcatiſſima ſanctitas, ſimplicitas impermixta, immenſitas terminari neſcia, ſapientia inexhauſta, potentia, cujus menſura eſt voluntas, & cui licet, quod libet; beatitudo indeficiens, bonitas & pulchritudo, omni creatâ cogitatione, & deſiderio major. Quod eſt guttula, ſi cum immenſo mari, & arenula, ſi cum orbe univerſo in comparationem veniat; hoc ipſum eſt, imò nihil, & minus nihilo, quidquid pulchrum, & in creaturis excellens datur, ſi cum Deo eminentiſſimo illo Principe conferatur. Quamobrem audi id, quod D. Ambroſius inculcat: Relinquamus ergo umbram, qui Solem quærimus: deſeramus fumum, qui lumen ſequimur. lib. de fuga ſæculi, c. 5. Nihil in hoc orbe ſuſpi-

ſuſpice; nihil magnum æſtima extra unum DEum, qui ſolus magnus eſt, & magnitudinis ejus non eſt finis. Nulli creaturæ cor tuum addicito: quia nemo bonus, niſi ſolus. Nihil in te patere, quod DEO diſpliceat, cujus ſanctiſſima voluntas, rectiſſima eſt omnis boni, ſanctitatiſque regula. Sanctô te ipſum odiô proſequere, & diſce te ipſum exuere, ut totus in DEum tuum transire, & unus cum illo ſpiritus effici valeas. Ingemina cum D. Franciſco centies & millies: DEus meus & omnia. Cum S. Ignatio: Omnia ad majorem DEI gloriam.

MEDITATIO SECUNDA.

De gaudiis Beatorum in cælis.

PUnctum I. Contemplare locum Paradiſi, & cæleſte illud Palatium, quale ſit; nam imprimis domus bona & magnifica, ampla ſit & capax, neceſſe eſt; de cæleſti affirmat Propheta Baruch: O Iſraël, quàm magna eſt domus DEI, & ingens locus poſſeſſionis ejus! Baruch. 3. v.24. Totus ille terræ inferioris globus, cælo collatus, guttula & punctum eſt: Ipſe adeo ſol, qui è cælo, orbiculi ad inſtar in mundum hunc propendere videtur, de Eruditorum ſententia, univerſam terræ molem centies octuagies magnitudine ſuperat: Quantæ igitur magnitudinis erit, & quàm latè patebit cælum ipſum.

Secun-

Secundò domus bona debet esse illustris, & undequaque plena lumine: de cælesti luculentum exstat D. Joannis testimonium: Et civitas non eget sole, neque lunâ, ut luceant in ea; nam claritas DEI, illuminavit eam, & lucerna ejus est agnus. Apo. 21. v. 23. Lux illa cæli Empyrei perinde sibi constat, ut DEus; nox illic nulla, dies perpetua: lux illa subtilior, amœnior, gratior, amabilior multò est, quàm hæc nostra; cælica est, quin imò divina, quæ in cordium intima suavissimo sese lætitiæ sensu insinuat, quæ partes angulosque omnes, quæ ipsos adeo supernæ Hierosolymæ muros penetrat, ac pellucere facit.

Tertiò ad domum lautam & exquisitam requiritur, ut amœno situ, ac purissimo cælo gaudeat: in Beatorum domicilio, nulla caloris & frigoris, nulla hyemis & æstatis est vicissitudo: nulla nix, nec ventus, nec pluviæ, nec dolor ullus, nec ulla etiam levissima invaletudo. Quantum auri homo quispiam dives erogaret, si illi domus venum daretur, quam ipsos centum annos, & ipse, & familia universa, sani ac incolumes inculturi essent?

Quartò domus bona, angusta sit & magnifica. Jam quanta est cæli magnificentia? Audi D. Joannem: Ipsa civitas aurum mundum

dum, ſimile vitro mundo, & fundamenta muri civitatis omni lapide pretioſo ornata; & duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt, per ſingulas, & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis, & platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. Apo 21. v. 18. Plateæ igitur hujus feliciſſimæ civitatis, puriſſimô aurô ſunt ſtratæ, & aurô, quod noſtrô longè præſtantius eſt; tum quia fulget; tum quia totum inſtar cryſtalli relucet: marmor iſtic, nimium vile, & nullo in pretio eſt: muri & fundamenta è gemmis excitata: portæ non è gemmarum acervo, ſed ſingulæ è gemma ſolida conſtructæ. O pulcha cæli patria! ô beata Superûm ſedes! ô opus divinæ potentiæ, ſapientiæ, ac bonitatis ſanè Princeps! ô immortalitatis Paradiſe! calentibus ad te ego cum Davide votis ſuſpiro: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Pſ. 83. v. 1. Non ergo jam miror, quòd tenello cum infante Beatiſſima Virgo, ipſos quadraginta dies ſordido in ſtabulo; quod Alexius annos benè multos in abjecto domûs paternæ ſub gradibus angulo; quòd Simeon Stylita in columna præcelſa, omnibus cæli injuriis propoſitus; quòd tot Martyres, leonum in antris ac carceri-

ceribus vitæ partem non minimam læti exegerint; ad ſupernam ſcilicet hi omnes domum, non manu factam ſed æternam in cœlis aſpirabant. Illud enim verò maximè mirum eſt, homines reperiri, ratione præditos, quos fluxarum rerum amor, in cœli hujus oblivionem inducat. Vos oculi mei, vos, inquam huic mundo claudimini, & cælo aperti ſtate: Quàm enim mihi ſordet tellus, dum cœlum aſpicio!

Punctum II. Expende Beatorum ſocietatem. Amici veri ac probati aurô contrà pretioſi ſunt: ejuſmodi in terris reperias rariſſimos; multa eorum millia exſpectes in cœlis. In hac enim beatiſſima ſocietate primus ac Princeps eſt Chriſtus, Electorum omnium caput; eſt deinde magna Chriſti Mater, & novem Angelorum chori, de quorum multitudine hæc Daniel Propheta: Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei: Dan. 7. v 10. Poſt hos ſeqvuntur homines juſti, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, Viduæ, Conjuges; de quo Electorum numero iſta exſtant D. Joannis verba: Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & lingvis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu

ſpectu agni. Apoc. 7. v. 9. Jam verò hi Divi ad unum omnes, clariſſimi ſunt ac nobiliſſimi, cùm ſint Filii DEI, ac reges cœli; ſapientiſſimi, cùm DEum videant, in quo vident omnia; opulentiſſimi, cùm hæredes ſint theſauri infiniti, ac cohæredes Chriſti; ſpecioſiſſimi, cùm ſint abſque nævo & macula, ſinè ſpinis lilia, ſinè paleis triticum; humaniſſimi ac ſuaviſſimi, cùm cor eorum charitate mutuâ in ardeſcat. Cujuſque illic cor & animus, perinde, ut hîc facies, cæteris omnibus pateſcit. Teneriimo alter alterum amore complectitur, certiſſimus quòd & ipſe viciſſim ab aliis ſimili amore complectatur. Rectè D. Auguſtinus: Tantùm unuſquiſque gaudebit de beatitudine alterius, quantùm de ſuo ineffabili gaudio, & quot ſocios habebit, tot gaudia habebit. Tom. 3. lib. de ſpiritu & anima. Adeoque quivis millies, iterumque millies, & ſuâ, & aliorum gloriâ beatus eſt. O charitas, exclamat D. Bernardus, quæ neminem expolians, omnia rapis, Dilige proximum, & omne bonum ejus, tuum eſt; rapuiſti tibi, & alium non expoliâſti. Quàm dulce, quàm jucundum erit, tot Electorum millibus ſemper convivere, iiſque familiariſſimè uti, quando & in mundo hoc, viri unius, à ſapientia & virtute probè inſtructi, conſvetudo ac familiaritas, tan-

tùm

tùm liquidæ voluptatis affert. Dulcissimam eorum societatem si prensas, patere, ut passi sunt; vive ut vixerunt: uno omnes è cælis te ore compellant: Nam & qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitimè certaverit. 2. Tim. 2. v. 5.

Punctum III. Beatitudo animarum, sive essentialis, ut scholæ, loqvuntur, consistit in visione DEI; Satiabor, ait Regius Psaltes, non opibus, amplitudineque regni mei, sed cùm apparuerit gloria tua. Psal. 16. v. 15. Videbis in DEo divinam essentiam, ejusque attributa; videbis individuæ Triados, incarnationis & passionis Dominicæ mysteria; videbis vaticinia Prophetarum adimpleta, & omnes sacræ paginæ sensús; videbis omnium cæli incolarum, nomina, merita, gloriam, nomina itidem, scelera ac supplicia, ad orci flammas damnatorum: videbis abdita Divinæ Providentiæ consilia, quibus per prospera, & adversa res animæ salutisque tuæ feliciter promovit; videbis res omnes jam inde nascente ab orbe, gestas rerum item jam creatarum, quasque pro divino suo beneplacito DEus procreare posset, virtutem, vires, naturam. Hâc tali cognitione, inardescit Beati animus, ac voluntas suavi ac indissolubili amoris vinculo, DEo ut amico, benefactori, parenti, spon-

ſoque ſuo ſuaviſſimo arctiſſimè ſeſe conjungit; in DEum ſuum ſeſe penitus immergit, atque uti candens in igne ferrum igni geminum, & totum ignitum eſt; uti aquæ guttula cado vini generoſi immixta, ejuſdem & guſtum in ſe, & odorem transfert; non aliter, clarâ DEI viſione & charitate, anima Beati tota divina redditur. Clariſſima ſunt D. Joannis verba: Scimus, quoniam cùm apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt. 1. Joan. 3. v. 2. Quòdſi nunc hîc homines reperire eſt, qui miſelli hominis amore capti, pro eo, vel ipſam adire mortem non dubitant, quæ non perpeti, quos non te labores exantlare par eſt, quò in omnem retrò æternitatem, infinitè ſuavi, infinitè amabili DEo tuo perfruare? D. Paulum audi: Exiſtimo enim, quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Rom. 8. v. 18. De omnibus omnium Martyrum cruciatibus, de ſpontaneis Confeſſorum, & Anachoretarum pœnis idem Paulus aſtruit: Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4. v. 17.

Punctum IV. Sua quoque eſt corpori & bea-

beatorum ſenſibus gloria ac gaudium. O doratus, odore paſcetur ſvaviſſimo, quem glorioſa Juſtorum corpora ex ſeſe diffundent; id quod Suarez probat in 3. part. diſput. 47. ſect. 6. Guſtum incredibiles delitiæ abundè explebunt, ſinè tamen faſtidio, & ſinè nauſea, uti David teſtis eſt: Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Pſ. 35. v. 9. Aures dulciſſima muſices harmonia miris, ſed veris modis oblectabit: Angelus quondam unico per chelyn ductu Franciſcum inter acutiſſimos morbi dolores, uſque adeò affecit, ut ſe jam in orbem alterum, delatum crederet. Quantum igitur liquidiſſimæ voluptatis dabit illud cæleſte à tot Virginum millibus, Apoc 14. v. 2. à tot Angelis, Apoc. 5. v. 11. concinendum melos? Oculos Beati amœniſſima paſcet cæli facies, & tot Angelorum, hominumque millia incredibili venuſtate ac ſplendore collucentia; præcipuè verò aſpectus ille Virginis, Matris DEI, MARIÆ, & humanitatis Chriſti, filii ejus: unus hic intuitus infractum Jobi animum, contra ærumnas omnes obfirmabat In carne mea videbo DEum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Job. 19. v. 26. Nec ſua etiam tactui oblectatio.

decerit, cùm corpus omni planè decore, & minimis quibuſque incommodis vacet: corpus enim noſtrum tum Solis inſtar fulgebit, quin & ſolis radios ſuperabit; neque tamen hic fulgor offendet oculos, ſed demulcebit ſvaviſſimè. Corpus immortale erit, & dolorum incapax, quòd nec inter undas madeſcere poterit: corpus inſtar fulguris agile, in quemvis ſe locum velociſſimè proripiet: corpus tam denique evadet ſubtile, ut fores obſeratas, & muros adamantinos penetrare valeat. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. 1. Cor. 15. v. 44. Ea propter mi homo, illicitas carnis voluptates hîc abdica & ſenſibus externis frœnum injice; Semper mortificationem JESU in corpore tuo circumfer. 2. Cor. 4. v. 10. Verumque in te erit hoc Davidis: Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Pſal. 93. v. 19.

MEDITATIO TERTIA.

De Conformitate noſtræ voluntatis cum Divina

PUnctum I. Conſidera, in quo ſita ſit hæc conformitas? in eo videlicet, ut quidquid cogitas; quidquid deſideras; quidquid agis: id omne cogites, deſideres, agas juxta regulam voluntatis Divinæ. Quemadmodum

enim

enim ſumma illa bonitas, in ſe ſemper intenta, ſe amat; propter ſe operatur: Perinde oportet, ut & tu te DEO conformes; in DEum te totum effundas; in eumque te totum immergas, & ab immenſo illo Divinitatis oceano te penitus abſorberi patiaris, ut in omnibus & ſingulis DEum cogites, ſpectes, ames; & voluntate tuâ nihil deſignes, nihil intendas, niſi unam DEI gloriam & beneplacitum. Quidquid tibi evenerit, ceu DEus immiſiſſet, accipias. Nihil probandum aut improbandum, quod non ille ſimul aut probet, aut improbet. Hinc eſt, quòd pari non affectu ferri deceat in ſecundam, & adverſam fortunam; divitias & paupertatem, & honorem & contemptum, pacem & bella, valetudinem & morbos; ſubtile & exile ingenium; quina & duo talenta; longiorem & breviorem vitam; proſperos & adverſos rerum agendarum eventus, quid? quod & in iis, quæ ſpiritum & perfectionem concernunt, eâdem nos eſſe deceat æquanimitate: neque præ deſolatione amare conſolationem; nec animi quietem inquietudini præferre; nec ad divini nominis augmentum laborare malle præquàm morbis conflictari: & quanquam ſummo conatu, & inſatiabili zelo divinam gloriam promovere, & ad ſanctitatem ſummam conten-

contendere nos, par ſit; eâ tamen menſurâ tandem contenti eſſe debemus, quam divina bonitas perfectioni noſtræ ſtatuerit. Acquieſcendum eſt illicò, ubi DEo viſum fuerit conatus noſtros morari. In ſumma; quidquid DEus vult, & uti vult, ita fiat. Nos milites ſumus, creaturæ, ſervi, ſubditi: Ille ſupremus, legitimus, independens, altiſſimus Imperator, Dominus, Princeps, Monarcha Ejus voluntas & beneplacitum eſt regula, cui quicquid conforme, bonum; quicquid difforme, malum eſt.

Punctum II. Inſpice fundamentum, quo nititur omnis illa noſtræ voluntatis juxta divinam attemperandæ ratio. Eſt illud, non aliud, præterquam divinæ providentiæ ſvaviſſima diſpoſitio, quæ, Iſaiâ teſte, tribus digitis appendit molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in ſtatera. Iſa. 40. v. 12. Primi digiti loco eſt Sapientia, de qua Eccleſiaſticus: Oculi Domini multò plùs lucidiores ſunt ſuper Solem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes, in abſconditas partes. Domino enim DEO antequam crearentur, ſunt agnita: ſic & poſt perfectum reſpicit omnia. Eccleſiaſt. 23. v. 28. 29. Ab omni retrò æternitate in numerato jam habuit, non minùs arborum ſingula-

rum

rum folliculâ; quàm capitis tui capillos; neque defluet eorum vel unus, sinè arcano ejusdem sapientiæ motivo. Nihil accidit tibi per omnem vitam, aut accidere poterit; quin præviderit ille. DEo nihil fortuitum, nihil non provisum.

Alter digitus est Omnipotentia, quâ potest omnia: Subest enim tibi, cùm volueris, posse. Sap. 12. v. 18. Cujus operationem nemo impedire, nemo potest suspendere: in ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati. Esther 13. v. 9. Et quæ suffragante Paulo, Operatur omnia in omnibus, unum si peccatum exceperis. Exemplo sit homicidium; cujus quidem origo, est voluntas hominis perversa, at executio, dum nempe stringitur gladius, dum jactatur brachium, dum perforatur cor, non nisi DEO cooperante contingit. Atque uti claudicatio pedis oritur quidem ab inflicto vulnere, gressus autem, motioque pedis, à virtute moventis animæ: perinde & malitia operis tibi noxii, à voluntate peccante, damnum autem à DEo proficiscitur. Testatur illud jam pridem Ecclesiasticus: Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à DEo sunt. Eccl. 11. v 14. Et Amos: Si erit malum in civitate, quòd Dominus non fecerit? Amos 3. v. 6. Dœmone,

homineque malefico ceu virgâ utitur & instrumento divina potentia.

Digitus tertius est ejus Bonitas, de qua David: Svavis Dominus universis: & miserationes ejus super omnia opera ejus. Justus Dominus in omnibus viis suis: & sanctus in omnibus operibus ejus. Ps. 144 v. 9. 13. Omnes afflictiones, omnes tribulationes divinô consilio huc tendunt, ut peccata tua castigent, exerceant patientiam, & gratiam tibi, gloriamque adaugeant. Id quod planissimè enunciat Paulus: Scimus autem, quoniam diligentibus DEum, omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Rom. 8. v. 28. Credo nunc; quid sentis de te ipso? quid speras? perditionis filius eris, an salutis? Salutis, inquis: rectè, fidem ergo læsisti, ni credat omnia tibi cooperanda esse in bonum, & in salutem animæ tuæ esse, quicquid tibi evenerit. Quorsum igitur hæc murmura & querelæ? DEô te totum, tuaque permitte. Corpus credis medico, cùm in morbum incidisti; vitam insuper vel puero, vel catello, cùm cæcus es; & dubitabis consignare te in eas manus fidenter, quæ falli & fallere nesciæ, quæ paternæ, quæ potentissimæ sunt & benignissimæ?

Punctum III. Expende, fructus, quos confor-

conformitas voluntatis noſtræ cum divina progerminat. Nam imprimis inducit in hanc vitam, pacem animi perpetuam, quâ homo adhuc mortalis, illius immortalis felicitatis prægustum ſentiat. Quemadmodum enim variabili ſe creaturæ implicare, nihil aliud eſt, quàm variâ inquietudine divexare cor: ita viciſſim animum immobili DEo affigere, eſt, illum pace nunquam interiturâ beare. Ita Angeli: Gloria in altiſſimis DEo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2. v. 24. Et Jobus: Acquieſce igitur ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos, eritque omnipotens contra hoſtes tuos, tunc ſuper omnipotentem delitiis afflues. Job. 22. v. 21. 25. 26. D. Auguſtinus: Qui autem de DEo vult gaudere, ſemper gaudebit, quia DEus ſempiternus eſt. Tract. 74. in Joan. Accedit, quòd vitam adeo ſerenam exceptura mors ſit æque feſtiva. Alter hujus conformitatis fructus eſt, quòd grandia in nos merita, hæc virtus derivet; & amplas in cælo coronas pariat. Cùm enim ceu holocauſtum, hominem DEo totum adſcribat, & cum corde affectus, arborem, inquam, cum radice conſignet, ut vir ſis ſecundùm cor DEI: cùm præterea intellectum DEo conſecret & voluntatem, quibus in homine facultatibu

nihil præstantius est: cùm denique hæc humana voluntatis cum divina conspiratio supremus sit atque purissimus amoris actus, & quædam quasi quinta ejusdem essentia, juxta Sapientem: Fideles in dilectione acquiescent illi. Sap. 3 v. 9. Et Hieronymum: Eadem velle & nolle ea demum firma est amicitia. Consequens indubitatum est, virtutem hanc DEo acceptissimam, & nobis meritorum feracissimam esse. Pacatus igitur & sanctus esse vis? Fac, ut Pater & tu, per voluntatem unum sitis

Punctum IV. Sancti omnes, sive veteri, sive nova in lege vixerint, in virtutis hujus exercitio fuêre eximii. Ita Heli, flagelli sibi de cælo imminentis certior per Samuelem factus, reposuit. Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat. 1. R. 3. v. 18. Perinde David qui quanquam gravissimâ premeretur adversitate, instantemque sibi filium Absalonem regno tantùm non extorris fugeret, animum tamen DEo affixus, & ita testatus est: Si invenero gratiam in oculis Domini reducet me . . Si autem dixerit mihi, non places: præsto sum, faciat, quod bonum est coram se. 2. Reg. 15. v. 25. Si dixerit DEUS: tu pones cum regno regem; tu sceptrum mutabis cum pedo; coronam cum petaso, cum lacerna purpuram, ovili

dein-

deinceps præfuturus, non Israéli: si dixerit ille Te Solymâ profugum, Semei, tuúsmet subditus, lapidibus insectabitur & convitiis, ab eoque propalam audies: Vir sangvinum: si dixerit ille: filius tuus Absalon invadet & incestabit cubile Patris, Patre neci destinato; suum opponet solenne David: Præsto sum, faciat quod bonum est coram se: Ejus voluntas mihi potior est libertate, regno & vitâ. O animum verè heroicum! humanum, dicam, an divinum! Idem testatum fecit in lege nova, Sanctorum omnium Regina, Virgo DEI Mater, exemplo haud paulò nobiliori, congessit in illam DEUS molestissima quæque & difficillima; nam peperit in stabulo; fugit in Ægyptum; aluit filium extremè inops; perdidit duodennem; adstitit sub patibulo morienti; detenta in vivis ad multos, post Christi ad Patrem ascensum, annos. Omnia ista tanquam DEI immissa consilio, tulit, nec aliud quidquam dicere audita est, nisi suum: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Exactissimam denique virtutis hujus effigiem dedit ipse DEi filius: qui non modò quoad vixit, suam per omnia paternæ voluntatem conformavit, verùm etiam moriturus, factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2. v. 8.

Eidem & tu in omnem deinceps vitam regulæ insiste, ut labores inter & dolores nec affectu solo, nec verbis solis, sed re ipsâ, dicas: Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra. Hoc signaculo quicquid agis, aut intermittis, constanter obsigna.

LECTIO SACRA.

EX Thoma de Kempis 5. 6. & 49. cap. lib. 3. Ex Cibo Electo Inst. 10. part. 3. Ex libello Exercit. Reliquæ regulæ de discretione spirituum & scrupulis.

EPILOGUS.

Octiduanæ Recollectionis.

FInitâ ultimâ meditatione, accurre ad JEsum Eucharisticum, eique pro gratiis omnibus, & beneficiis, tibi Exercitiorum tempore concessis, gratias age, in eumque finem recita: Te Deum laudamus. Imperfectiones hoc octiduo admissas deprecare & veniam pete, orando cum Davide quartum Psalmum Pœnitentialem: Miserere mei DEus. Proposita à te concepta offer, & gratiam ea implendi humillimè pete, recitatis Litaniis de dulcissimo Nomine JESU.

Ad consolidanda sua sancta proposita eaq; ritè exequenda velit pius Lector sæpe meminisse, quæ, & quanta agere, ac pati proposuerint, egerintquè & passi sint sequentes tres cum innumeris aliis repetitâ commendatione dignissimi JESU socii. †

V. P. ALBERTUS MECINSKI. sic in Epistola ad Cracoviense Collegium.

Reverendi Patres & Fratres charissimi

Pax CHRISTI.

Ultimum in hâc vitâ valedicturus hæc scribo; siquidem jam Dominus meus me vocat ad onus Crucis perferendum, & moriendum in illo theatro athletarum suorum, qui id sangvine suo purpurârunt: En jam post superatos Oceanos, & tot pericula terrâ marique, post captivitatem Holandicam, & alia multa mortis pericula superata pro Nomine JESU ultmum superest mortis genus; quod, quamvis crudelissimum, ferendum tamen æternæ vitæ amore gaudens amplector: Post aliquot dies circiter, dum hæc scribo, aggrediar luctam contra tyrannum Spiritualem, cui præsentabimur

† Ex R. P. Allegam:

ad confitendum Nomen Domini JESU, tyrannum, inquam, ebrium ſangvine Martyrum Chriſti. Video enim hic renovata Diocletiani tempora, & furentem Sathanam in inventione cruciatuum in caput eorum, qui evangelizant Verbum DEI. En jam canenæ, cataſtæ, craticulæ ferreæ, ſartagines, rotæ, acus, ungvibus inferendæ, cruces, vomeres, gladii & dira tormentorum genera à Diabolo inventa in oculis meis verſantur; ſed veniant hæc omnia inferorum tormenta; tantùm Chriſto meo fruar: Non reputo hæc tormenta, ſed ſerta: Non cruces, ſed coronas pridem concupiſcenti animo præparatas: quæ magis invitant, quàm arceant. Gratulamini mihi, quia Domino placuit hunc Orientis hortum ſangvine Aquilonis rigare, & pro peccatis, pro quibus mihi pœna ingens debebatur; me ad palmas, & coronas vocare: Miſericordias ergo ejus in æternum cantabo. Nemo ita ambivit imperia, & coronas; ut ego propter Chriſtum carnificum manus: nemo majori ſedulitate ridendos mundi honores, & vanas divitias quæſivit: ut ego locum inter diros cruciatus pro Domino meo ferendos: dabunt confidentiam magnam peccatori miſerabili ictus & plagæ cruentæ ante tribunal Chriſti: & ſpes vitæ æternæ erit firma, ſi lavero ſtolam meam in ſangvine

Agni. Dum has recipietis, jam, ut confido in misericordia Domini, cursum peregrinationis finiam. Valete millies. Datum Insulis Philippinis, in itinere Japonico, 2. Julii 1642.

Servus in Christo designatus
ad mortem pro Christo
ALBERTUS MECINSKI,

SAcram hanc sitim placavit; quando intra septem menses centum & quinq; vicibus aquarum ingurgitatione, atq; earundem violentissimâ repressione fuit potatus! Exercita erat illa Tyrannis hoc modo. Deligabatur Martyr sublimis ad palum capite subjectam in aquam narium tenus demerso: dein funis, ex quo pendet validè contortus remittitur, ut dum pendere corporis celeri circumactu retinetur, animæ reciprocatio intercludatur, ex qua tortura mirâ vi alacer emergens, dejectus fuit capite deflexo in scrobem, in hac quinto die vultu ad amoenitatem composito obiit.

Perdilectus P. ALBERTI, Coapostolus P. MARCELLUS MASTRILLUS, Marchio Neapolit. sequentia proposita ab aspectabili XAVERIO sibi dictata elicuit. Me, O DEUS Tibi totum dedico in perpetuum, & oro suppliciter gratiam pro Te fundendi sangvinem, quam Indiarum Apostolus consequi

ſequi non meruit, mihi licèt indigniſſimo largiaris, Amen. Abrenuntio Parentibus, propriæ Domui, amicis, & omnibus, qui mihi retardare poſſent Indicam miſſionem: me totum dico in animarum ſalutem apud Barbaros Ad cognatum P. Gabrielem ſic ſcribit. Vado plenus deſiderio & conſolationum Spiritualium, vacuus omnibus cogitationibus, & curis terrenis: DEUM meum ſolùm quærens tantùm Paradyſo vicinior, quantùm omni terræ ſolatio remotior: Tantò jam delibutus ſum gaudiô; ut quaſi impos alienari à me videar; plena equidem ærumnarum, latrociniorum, famis & luis fuit navigatio mea, ſed & pleniſſima gratiarum, ac deſideriorum extitit. Candentibus dein in Japonia forcipibus uſtulatus animadvertens eas corporis partes procaciter attentari, quarum verecundiâ magis, quàm dolore laceſſeretur, perhumanè Carnifices ab hac incivilitate dehortatur dicendo ſe libentiſſimè reliquam carnis compagem aſſandam offerre. Violentam quoq; aquarum infuſionem, & vehementem earum evulſionem bis deficiente quantumvis corpore ita fortiter ſuſtinuit ut ſpiritu indeficiens tortores ſit affectus amici inquiens: Nulla vos capiat admiratio, ſi fors me deſtitui viribus videritis: Etenim licèt deliciis non inſueverim, tamen humanæ

imbecil-

imbecillitatis ſenſum non exui; conſtat fatiſcente corpore ſibi animus ad omnia, quæ irrogare vobis lubuerit tormenta paratiſſimus. Et quid optabilius evenire mihi poterit, quàm mortem pro Chriſto ſubire. Ad montem quoq; vulgô Martyrum ex urbe Nangaſacô ſtrigoſo ſonipedi impoſitus, & curtâ togulâ genuum tenus, cætera nudus, manibus à tergo vinctis, lupatô ferreô os conſtrictus, dexterâ capitis parte raſus tanta vultûs amabilitate proceſſit: ut arridentis more inclinato ad ſalutationem vertice adſtantes ſit veneratus. Pendulus demùm per quartum diei veſperum in mephitica foſſa, cùm à cuſtodibus interrogaretur, num quò egeret (nam mortuo ſimilis hæſerat) reponit. Sinite me meis deliciis perfrui. Tandem intimatâ capitis ſententia, ipſe quaſi diu expectatô nunciô mirè exhilaratus reponit: Bene eſt, hoc pridem opperiebar: tum veniam laboris ab Executoribus petiit, & genibus provolutus poſt indemnes duos prævalidi acinacis ictus ad tertium, ſibi infigendum animans Carnificem dicit: Fili, exequere in me Gubernatorum tuorum juſſa, egoq; pro nomine JEſu libens moriar.

R. P. Carolus Spinola Italus à glorioſiſſimo ortu & doloroſiſſimo obitu perquàm

quàm celebris, exuberans animi sui solamen ad perpetiendas pro Christo pœnas sic in epistola sociis innuit. Fratres charissimi: Et quando tandem illud erit tempus vel dies, vel hora, vel momentum? quàm suave est vel solâ recordatione pro Christo perpeti supplicia, & mortem ipsam? quid igitur ipsa mors foret? Hæc & similia eructabat anhelum & siticulosum Martyris pectus. Nec aliàs unquam tantô delibutus fuerat jubilô, quàm quando per quadriennium coarctatus scatebat in teterrima custodia, quæ palis sic hiantibus circumsepta erat: ut captivi æstate sole torrerentur, hyeme ventis, ac nivibus pervii semineces rigerent. Adeo angusta, ut nemo captivorum plus haberet spatii, quàm duorum palmorum & trientis, prorsus ut noctu nequirent ad captandam quietem se extendere. Eorum vita erat perpetuum jejunium, adeoq; asperum: Ut satis cibi quidem semper suppeditaret ad arcendam mortem, sed nunquam ad comprimendam famem. His adde graveolentiam intolerabilem ex multitudine hominum tam angustô locô concluforum, ex flatuum àërisq; corruptione, ex præsenti cloacâ, ex sudore corporum, quæ nunquam siccabantur, contractam: cum neq; recentibus linteis, mutare obsoleta, neq lavare jam inquinata permitterentur. Hinc tanta pullu-

labat

labat animalculorum ſordiumque vis: ut morſibus, aculeiſque confixi Confeſſores nullam unquam quietis partem caperent. Atquè ut experirentur vivi, quod nullo doloris ſenſu à mortuis, percipitur, à ſummo vertice ad imos uſq; pedes omnis generis vermibus è corrupta materia procreatis operiebantur, quæ materia, quoties pluebat, exundante latrinarum cloacâ, pavimentum cuſtodiæ innatabat. Ex hoc ergaſtulo invictiſſimus Heros Spinola hilaris proceſſit ad rogum, in quo per trium horarum allambentem flammam ſe velut jubilans Phœnix DEo incineravit.

AFFECTUS MISCELLANEI.

DEprime ſub pedes DEi tui ſuperbum caput vilis creatura. Ah! etiamnum ſuperbis? Indigna es, quam ſuis pedibus dignetur JESUS tuus. Conculcent te damnati omnes, ac ipſi dæmones, quorum tu iniquitates es ſupergreſſa, ego Filium tuum crucifixi, ego ſangvinem ejus, & infinita merita proculcavi.

O Patientia incredibilis! O miſericordia infinita! tu, non ferre tantùm delinquentem, ſed novis etiam beneficiis cumulare potuiſti.

QUot tu, juſtiſſime DEUS, minorum ſcelerum reos in momento ad infernum præcipitaſti? Angelos, tam excellentes creaturas

aturas ad unius duntaxat cogitationis consensum in ignem æternum detrusisti: mihi ut parceres, ut dissimulares, quid te movit? An quidquam toto vitæ decursu præstiti, quod oculis Divinæ Majestatis tuæ placere potuerit.

OBsecro te æterne Pater, per misericordiam tuam infinitam; te Fili unigenite, per tuum in peccatores amorem; te Spiritus Sancte, per tuam benignitatem, SS. Trinitas, per sangvinem, & merita Christi, parce, parce misero peccatori. Ampliùs crucifixe JESU, ampliùs lava me vel unicâ guttulâ tui sangvinis à peccatis meis. Adgeniculor Cruci tuæ, indignus licèt, expecto misericordiam tuam.

GRatias tibi ago DEus meus, quòd peccantem me, & non pœnitentem, hucusque conservaveris, neque statim meritis pœnis addixeris, otiumque dederis animæ meæ calamitatem agnoscendi, ac detestandi; quod mille aliis non concessisti, quos priùs mors & æterna damnatio occupavit, quàm præstare id possent.

AGnosco vilitatem meam, DEus infinitæ Majestatis. Infra nihilum descendi, quia te offendi. Et merui, & volo ab omnibus contemni, & vilipendi, volo non expectare tantùm, sed quærere, & ambire contemptùs

mei occasiones. Confirma hanc voluntatem meam, pro me toties despecte JESU.

INdignus sum, qui accedam ad thronum misericordiæ DEI, quam impudentissimè despexi, Tu unica, & potens peccatorum Advocata, DEI MATER MARIA, quæ nullum in te confidentem despicis, ostende pro me Filio tuo ubera, quibus eum lactasti; & per merita tua impetra mihi â justissimè irato DEI misericordiam. Tu Angele mi Tutelaris, cui curæ sum ab infantia; per gaudium illud, quod habes super uno peccatore pœnitentiam agente; Vos SS. NN. Patroni mei. Sancte PETRE, qui unum peccatum toto vitæ tempore incessanter deplorâsti aliquid pænitudinis, & lachrimarum mihi indulge.

AMo te DEUS meus; ac tu scis, quia nihil amo, nisi te. Non sufficit cor hoc sentire, non lingvâ loqui. Sic ergo paciscor tecum DEUS, de minimo quocunque motu interno, & externo animæ, cordis & corporis mei; de omni mea æquè dormientis, ac vigilantis aspiratione, de omnibus & singulis, quæ sunt, & erunt creaturarum motibus; de singulis Beatorum tuorum, & SS. Matris, ac JESU mei redemptoris actibus, sint signa mea, quibus meum in te amorem loquar. Quidquid horum aspicis DEUS, in

in eo tibi ego loquor: amo te amabilissime DEUS.

OMnia mea, tua sunt Domine; quia omnia tua voluisti esse mea, quid habeo, quod à liberalitate, & misericordia tua non accepi, & quia accepi, rursus tibi sincerissimo gaudio offero, corpus meum, & animam meam, omnes sensus & potentias meas, intellectum, memoriam, & voluntatem meam. Non aspice, quod mea sint; sed quod tua; & pretiosissimo sangvine Filiij tui tibi vindicata.

O Cur non habeo tantum amorem, quantum Spiritus Seraphici, & omnes cœlites! & finities majorem! O utinam haberem tot corda, quot sunt in cœlo stellæ, in aëre atomi, in mari guttæ, in terra pulveres, ut omnibus ijs & super omnia Te possem amare! sed quia alius amor nullus est, quàm amor tuus æternus, & infinitus, & ejusdem tecum naturæ, ideo eum Tibi offero: Tu Te ama quantum es amabilis: mihi autem da tantum Te posse amare, & timeri, quantum ab aliqua creatura amari & timere potes: O amor & tìmor amoris & timoris mei

DOmine si vides, quòd aliquando Te offensurus sim, hoc potiùs momento me acerbissimâ morte tolle, quàm ut permittas me ad infelicissimum illud tempus supervivere.

Fir-

Firmissimè semel pro semper coram tota cœlesti curia statuo, quocunq; tempore me mors occupaverit, quod ex integerrimo corde, amore solius Bonitatis Dei doleam de meis & alienis peccatis.

Oratio Finalis.
Ex S. AUGUTINO,

PEr ipsam Medicinam vulnerum nostrorum, videlicet amarissimam Passionem, & mortem tuam Domine JESU Christe supplico pietati bonitatiq tuæ: Ut diligam te DEUM Redemptorem meum ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex totis Viribus meis & omni intentione mea cùm multa reverentia & tremore, cum multa cordis contritione & lachrymarum fonte, habens te in corde & ore & præ occulis meis semper & ubiq;. Da mihi cor cotritum, cor purum, cor sincerum cor devotum, cor castum, cor mite, cor sobrium, cor mansvetum, cor tranquillum, cor tui desiderio plenum, cor providum ad omnia & discretum in cunctis, cor simplex, & nihil mali sentiens de proximis meis, cor compatiens alienis doloribus, & miserijs, cor congaudens aliorum bonis & virtutibus; ut possim flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus. Da mihi mentem tam simplicem, tamq; mitem, ut, de injurijs aliorum

doleam

doleam; de meis verò gaudeam: Ut de laudibus alienis exultem, de meis autem contriſter. Da mihi Domine cor mitiſſimum & tantæ manſvetudinis plenum, ut à nullo homine unquam timeri quæram vel amari præ te. Verbum tuum timeatur, & ametur: Propter te ament & revereantur me: Et te laudent, cum aliquid boni ex dono tuo viderint in me; Abſcinde â me omnipotens omnem appetitum inanis gloriæ, & omnem faſtum ſuperbiæ & invidiæ, ut cor meum de bonis tuis nunquam elevetur, nec de alienis invideat. Doleo cordialiter me unquam te, quem amo ſuper omnia, offendiſſe, ſpondeoq; me millies velle mori, quàm te offendere.

FINIS